Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Matthias Gesner

Io. Matthiae Gesneri, Eloqv. Et Poes. In Acad. Georgia Avgvta Profess. Pvbl. Ord. Academ. A Biblioth. ... Opvscvla Minora Varii Argvmenti

Tomvs IIII.

Vratislaviae: Impens. Io. Iacob. Kornii, MDCCXXXXIIII.

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697605

Band (Druck) Freier Zugang





Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697605/phys_0001
DFG

XVI. XII. 116 p
Pr. 117 — ~~500 p. Ind~~ 520 Ind
Pr. Cons. p — 360, Ind
Ind. Pr. 108 p
62 p

Ex auctione b. Cons. Heringii
1750. comp.
A. I. D. Aepinus.
34 /.

Ex auctione b. Aepini
2 Rd 17 ßl.

A. b — 3178 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1853697605/phys_0002
DFG

IO. MATTHIAE GESNERI,

ELOQV. ET POES. IN ACAD. GEORGIA AVGVSTA PROFESS. PVBL. ORD. ACADEM. A BIBLIOTH. SEMINAR. PHILOLOG. ET SCHOLAR. MAIOR. INSPECT. SOCIET. REG. SCIENTIAR. PRVSS. SODALIS

OPVSCVLA

MINORA VARII ARGVMENTI.

* *

TOMVS IIII.

VRATISLAVIAE,

IMPENS. IO. IACOB. KORNII.

cIↃ IↃcc xxxxiiii.

XXXIII.

DE

STATV ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE,

QVAE

GOTTINGAE

EST BREVIS ET VERA

NARRATIO.

Ne eadem ſcribere ad plures de iiſdem rebus requirentes cogar; viſum eſt ſemel ſumere operam paullo accuratiorem, et, quantum eius fieri a me poteſt, deſideriis illorum ſatisfacere, quorum intereſt de ſtatu academiae, quam nominis ſui honore dignatus rex noſter potentiſſimus, GEORGIAM AVGVSTAM appellari nuper iuſſit, vera ac certa edoceri. Neque vero metuo, ne viri graues et ſapientes plus fidei habeant rumuſculis, partim ridiculis, partim malitioſis, quibus paſſim impetimur, quam narrationi hominis, qui, ne alia dicam, certe nolit ſui mendacii tot conſcios eſſe, qui redarguere illum, et pudore ſuffundere poſſint. Iam de ipſius vrbis, quae hoſpitium praebet nouae academiae,

ſitu, ſalubritate, deſcriptione, aggeribus, aedificiis nouis, viis eleganter et commode ſtratis, ſimilibusque rebus, dicere nihil attineret, niſi rari olim peregrini huc veniſſent, et qui ante ſex ſeptem aut amplius annos Gottingam viderunt, talem ſolerent deſcribere, qualem ipſi viderunt ſcilicet. Sed bene eſt, quod his de rebus iam ſuperiore anno typis expreſſa paſſimque lecta eſt epiſtola, in qua etiam recenſus agitur profeſſorum, qui tum erant, et breuiter de illorum meritis diſputatur: quod quidem poſterius non vehementer videtur opus fuiſſe, cum nemo, quod ſciam, electionem ſapientiſſimi regis reprehendat, aut ea parte laborari Gottingae dicat. Prodiit per hoſce ipſos dies catalogus recitationum, qua publicarum, qua priuatarum, primus, vnde et nomina et operas vnius cuiuſque Profeſſoris cognoſcere facile erit, itemque illud, cum linguarum Anglicae, Gallicae, Italicaeque idoneos claroſque doctores publicis ſalariis auctoratos, tum mouendi in equo, vel cum armis, vel in orcheſtra, corporis, magiſtros longo vſu exercitatos adeſſe, et operam dare iuuenibus. Quae cum ita ſint, non ita multa ſupererunt hic dicenda. Sunt autem et haec diuerſi generis, quae ita a me, vt in mentem et ſub acumen pennae venerint, commemorabuntur. A Ioue principium. Dant operam theologi, vt occaſionem habeant ſingulis diebus dominicis, poſt ſacra etiam reliqua, tum litterarum ſtudioſi, tum alii de diuinis vel legibus vel beneficiis ſerio cogitandi: quandoquidem et ſua voluntate, et auctoritate ſuperiorum, alternis concionem domi ſuae habent quatuor theologiae doctores, CRVSIVS, OPORINVS, HEVMANNVS, COTTA, (ex Tubingenſi academia ad theologiam pariter et

et orientalem eruditionem docendam huc euocatus;) eo quidem plausu iuuentutis, vti nuper in OPORINI acroaterio ad ducentos numerauerim, qui sextum decimum hymnorum Dauidis enarrantem summo silentio atque attenti audirent. Domi quisque suae habent eas diatribas, siue cum nostris asceticas lectiones nominare malis, quod academicum templum nondum plane perfectum, nondum certe rebus omnibus exornatum est, quamuis studiose id opus vrgeatur. Idem de adiuncto collegii aedificio dicendum, in quo nunc auditoria cathedris atque subselliis: bibliotheca vero pluteis et armariis ad pulcerrimos thesauros recipiendos instruuntur. Ita nec hiemis asperitas intercessit, quo minus in hippodromo exaedificando strenue pergeretur, et stadio equis agitandis domandisque destinato. Videas et alias, adiiciamus enim et hoc, quando iam in aedificiis versamur, hic nouas priuatorum domus surgere, hic expoliri antiquas, cui rei animos addit edictum regium de immunitate et aliis aedificantium beneficiis. Itaque spes est, post aliquot annos pauca ruinarum turpium, et fumosorum tuguriorum vestigia, quae directas latasque vrbis plateas et descriptionem reliquam deturpabant, superfutura. Spectaculum nouum ciuibus, sed idem iucundissimum, praebuerunt lucernae, quae primum per hanc hiemen tenebras noctibus, horrorem, et pericula detraxerunt. Incendiorum quoque vt minus iam timeatur furor, faciunt aquaeductus, per totam vrbem deriuati, vnde, vbicumque et quocumque tempore opus est, magna vis aquae suppeditari siphonibus et hamulis potest: parati autem siphones commodissimi generis et vsus praestantissimi. Initium porro factum est viarum ex-

tra vrbem, (nam intus omnia, vt in pulcerrimis Germaniae, ſtrata ſunt) muniendarum, quae ſola res potentiſſime adhuc morari affluentiam vrbis huius et commeatus varii generis viſa eſt. Cum enim viarum difficultates nuper homines refugerint, quo minus copioſe ſatis ſubuectarent copias, de quibus praeſertim dubitarent, emtoremne inuenturae eſſent: vtraque illa cauſſa ſublata, dubium non eſt reliquum, quin in magna rerum adfluentia paullo poſt Gottinga futura ſit, in qua vel nunc altilium, ferinae, piſcium, vel marinorum, vel aquae dulcis incolarum, beata ſatis copia per hanc hiemen fuerit, multo etiam maior futura proxime, vbi commodiores vrbs aduectus habuerit, quos iam nunc iuuat plauſtrum ex ſuperioris autumni inſtituto, ſingulis hebdomadibus Langenſalzam commeans, cuius ope omnes Thuringiae et Saxoniae vrbes adiri commode poſſunt, ſeu celeri illo rhedarum curſu, ſeu grauiore plauſtrorum vectatione opus ſit. Aliud eadem lege Hannoueram adit, et inferioris Saxoniae commoda nobis admouet. Proſpectum etiam eſt, vt conſtet omnibus, quo pretio epiſtolae vel ſarcinae ad nobiliora Germaniae loca perferri poſſint. Ne longus ſim, gradus ille factus eſt ad parandam huic vrbi rerum omnium bonarum facultatem, vt poenitere incredibilis prouidentiae ſuae diligentiaeque ſummos viros, qui eam huic rei impenderunt, minime debeat. Quodſi effecerint, quod non decretum modo eſſe accepi, ſed feliciter iam coeptum quibuſdam locis vidi, vti viae publicae muniantur diriganturque, quoad eius fieri poterit, non habebit in poſterum, quod inuideat aliis hic terrarum angulus: habebit, habetque adeo, quae ſibi deeſſe queruntur alii. Habet enim profecto

ſalu-

ſaluberrimam coeli temperiem, habet aquas limpidiſſimas, habet ſolum, frugum non modo, ſed olerum quoque fructuumque optimorum ita ferax, vt ſi cultus vberior, olerum praeſertim, in quo cum maxime elaboratur, acceſſerit, cum laudatiſſimis eo nomine locis certare poſſit. Neque habent beatiores, quod deſiderent: cum adſint vel praemiis aliunde inuitati, vel, cum iam adeſſent, lucri ſpe ad audendum amplius allecti, non Terentiani illi modo cupediarii, cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, ſed vini etiam diuerſarum patriarum et generum, aliarumque rerum, quibus negatis delicatiores dolere ſolent, mercatores. Qui igitur adhuc caritatis omnium rerum crimine infamarunt Gottingam, ii ſi de carnibus optimis, de cereuiſia, cui nullam equidem praetulerim, de reliquis rebus neceſſariis vitae vel ſtudiis, conqueſti ſunt, parum penſi veritatem habuere; ſi vero quorumdam rationes vina exotica, alea, crebrae excurſiones, impenſaeque his ſimiles, onerarunt, ii cogitare debebant, quo magis copiis omnibus abundet locus aliquis, tanto paratiorem eſſe pecuniae voluptatibus impendendae facultatem, vt adeo laudet vrbem, qui in vilitate rerum neceſſariarum, multum tamen pecuniae, ipſe non plane inſanus conſumſiſſe ſe dixerit. Si qua ſuperſunt Gottingae incommoda, illa non tam eos premunt, qui praeſenti pecunia victum redimunt, quam qui cum familia aliunde huc delati, rem familiarem alio, quam cui adſueti ſunt, modo inſtituere et tueri coguntur: qui tamen et ipſi paullo poſt nihil, de quo conquerantur, habebunt. Sed neſcio, quomodo ad ventrem delapſus ſum, qui de capite coeperam dicere, hoc eſt de optimorum ſtudiorum ratione.

De hac plenius cognoscere poteris ex illo, de quo ante dixi, catalogo, videbisque, nullam esse doctrinae partem, de qua non audiri possit vir vnus certe, qui illius docendae olim specimina dederit minime infitianda. Prima cathedra theologica, itemque altera medicorum, quod certo constat, iis propediem ornabuntur viris, per quos magna rerum merito speratur accessio. Iam respondendum est ad quaestionem quorumdam de thermopolio. Recte vobis narratum est, amici, frequentari illud a professoribus. Nimirum singulis Saturni diebus per hanc hiemen conclaue ad eam rem vacauit ab hora V. ad VII. vt eo conuenirent tum professores, tum quicumque alii, honesto colloquio, legendisue actis diurnis, quorum vel manu scriptorum, vel expressorum typis bona semper copia adest, potius quam Nicotianae fumo, aut cuiuscumque generis ludo, oblectare otium suum, aut Caffeam condire vellent: qua re illud consecuti sunt homines, vt tralaticiae salutationis, aut breuis sermonis caussa, non opus sit bonas horas perdere, aut incommodum alteri facessere: cum hic vna alteraque hora vel dena parua negotia, quorum vnumquodque suam sibi horam vel plus etiam facile abstulisset, transigi possent; et quae ex congressibus variis voluptas petitur, breui quasi via percipi. Habent hic occasionem iuuenes notitiam sibi familiariorem quorumdam professorum parandi, quaeque sibi dubia videntur, proponendi: professores autem seueriore illa persona deposita demonstrare possunt, quam sibi dulce sit, cum honestis iuuenibus hilariter etiam iucundeque versari, et bonis bonorum voluntatibus satisfacere non modo, sed, si possint, occurrere. Turbauit

bauit hoc institutum ex aliqua parte, symphoniacorum exercitatio in eumdem locum, idemque tempus collata, cum qui disputare malunt, clamare cogantur, vocibus autem horum musicos audiendi studium turbetur. Itaque actum est a quibusdam professoribus cum hospite, vt separatim vnicuique voluptati vel locum vel tempus constitueret, quod is facturum se recepit. Sed neque tacendum est de duplici infortunio academiae, ne solis, quae secunda sunt, enarrandis fidem meam vltro minuam. Amisit academia in ipsis anni principiis, solum, qui quidem praesens tunc aderat, medicinae professorem, Io. Gvilielm. Albrechtvm, virum, vt naturae omnis, et inprimis humanae consultissimum, sic anatomica peritia et dexteritate praestantissimum. Sed commode tamen accidit, quod adfuit Segnervs, qui naturalem doctrinam, et matheſin, delicias suas, docere iussus, in quibus cum paucis illum florere constat, ad veterem consuetudinem docendae exercendaeque medicinae reuocatus est, qua quidem in re vtraque egregia adeo noua specimina dedit, vt praeter consilium viri prius, (totus enim physicae et matheſi vacare decreuerat), ordinaria etiam medicinae professio demandata illi fuerit. Quid in Richtero, e Kilonienſi academia in aulam Eutinenſem, et hinc ad nos translato, Lipsienſis mathematici fratre, habitura sit Gottinga, cum ipse in lectionum catalogo indicat, tum inde colligi potest, quod regi suo Hannouerani illum medici commendarunt, viri, nisi tres essent, prope incomparabiles. Horum nuper Werlhofivs, cum hic esset, errore cuiusdam animaduerso, qui in nomine Richteri erraret, multa de praeceptoribus vi-

ri, Boerhauio et Schachero, de ipsius polymathia, de mathematicarum artium et eclecticae philosophiae cum salutari arte coniunctione, quam ille probaret, disputauit, et quantum tum in encyclopaedia medica, tum in singulis eius partibus valeret, enarrauit, bonaque spe atque exspectatione viri, a tam idoneo auctore laudati, omnes impleuit, confirmauitque adeo coram, quae carmine Germanico, ipsius elegantia et suauitate digno, nuper de amico suo cecinerat. Idem etiam confirmauit medicinae studiosis, alium in procinctu iam esse medicum, excellenter adeo, tum in secandis corporibus, tum in aliis doctrinae huius partibus versatum, vt paullo post non habitura sit Georgia Augusta, cui hac parte inuideat. Verum exspectatis, amici et lectores, alterum Gottingae infortunium, cum malim ego immorari in laetioribus. Sed tacere non possum, ne dissimulando fateri videar, quae in actis quibusdam publicis, de horribili tumultu, caedibusque et vulneribus nostrorum nunciata sunt. Quae quam parum candide a primo auctore, (ipsos enim actorum scriptores facile absoluimus) narrata sint, ex verisima eademque breuisima historia patebit. Per comissantium quinque, non plurium, iuuenum lasciuiam, qui circitores nocturnos clamoribus et gladiis lacesserent, (et horum aliquam importunitatem, imperitiam certe, intercessisse, hominum scilicet eius negotii, ad quod se conduci passi sunt, nondum satis peritorum, non est cur non credam narrantibus), per petulantiam igitur et ebrietatem factum est, vt circitorum vnus gladio traiectus, et e vestigio collapsus, paullo post moreretur. Magna sane calamitas, et quam magno redemtam velint, qui

qui amant academiam; sed non talis, puto, quam ambitiose narrando aliquis inuidiam conciliare nouae academiae apud prudentes possit, nisi forte norit academiam, magnam, paruam, nouam, veterem, in qua non subinde talia vel facinora erumpant, vel accidant infortunia, quibus si acta publica implere placeat, largam vel eo ipso tempore materiem plures aliae academiae praebebant, in quibus tristiora longe accidisse nobis constabat, et quanta pars ad nos delata est? Sed aliarum infortuniis felices censeri non postulamus. Quid apud nos actum sit, cum fide enarrare pergimus. Incredibilis diligentia adhibita est, tum ab regio academiae commissario, (ita enim vocatur, qui pro rectore nunc est) et senatu, tum a praesidii militaris duce, ad hoc inuocato, ne elaberetur interfector, qui tamen eludendae omnis industriae viam inuenit: summa porro seueritas consilii intimi interceſſit, cuius edictum regia auctoritate scriptum ac publice propositum, rationesque aliae cauendis in posterum similibus turbis initae, tantam, vt credibile est, vim habebunt, vt ex hoc ipso infortunio salus quaedam et felicitas effulsisse aliquando videatur, et illud consecuta esse academia Georgia Augusta, vt minus forte, quam vsquam terrarum, vim, iniurias, caedem, metuere quisquam debeat. Quod quidem tanto mihi fit credibilius, quum videam, maiorem partem iuuenum, vt natalium et fortunarum nomine, ita etiam generosa quadam modestia, et honestissimo humanitatis comitatisque certamine esse commendabilem; eos autem, qui turbare interdum aliquid audent, vel ipsa paucitate esse contemtibiles, et nisi mox emendari se patiantur, eo facilius a praesepibus

posse

posse arceri. Quod quidem quin verum sit, dubitare non possunt, quibus rescriptorum potentissimi regis inspiciendorum facultas est, vel ipsius amabilem bonis contra malos seueritatem non ignorant. Haec fere sunt, quae in praesentia scriptu digna videbantur. Plura volentibus suppeditabunt ingeniosissimi *collectoris folia*. Nimirum prodit singulis hebdomadibus apud Io. Mich. Fritschium plagula dimidia, cui praescriptus titulus **der Sammler**, libellus natiua quadam venustate et dulci acrimonia conditus, quo non possunt non delectari mirifice, qui quacumque ratione morum pariter, ac iudiciorum emendationem tentari gaudent, eademque, quae Gottingae aguntur, cognoscere cupiunt. Ita cupide diuenduntur exempla huius libelli, vt primae partes iam denuo prelo fuerint subiiciendae. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. *Gottingae a. d.* 26. *Mart.* CIↃ IↃCCXXXVI.

* *

XXXIIII.

PROGRAMMA
ACADEMIAE
GEORGIAE AVGVSTAE
INAVGVRATIONEM PVBLICAM
A. D. XVII. SEPT. CIↃ IↃCC XXXVII.
PERAGENDAM
INDICANS.

Veram ſolidamque magnitudinem, qua homo homine, rex praeſertim rege, maior cenſetur atque illuſtrior, ineſſe deprehendunt, qui ſuis tantam rem momentis ponderant, in ampliſſima bene quam plurimis faciendi non facultate ſolum, ſed etiam voluntate. Hoc ipſum eſt, in quo diuinam maieſtatem collocant, quicumque Deum aliquem venerantur populi, in hoc ad proximum a ſuprema illa natura faſtigium euehuntur homines gloria et praedicatione caeterorum; quod vel attributa rerum dominis *clementiae*, *manſuetudinis*, *tranquillitatis*, *ſerenitatis*, ac ſimilia nomina, ſatis indicant. Sed cum beneficiorum, quae tribuere toti rei publicae princeps poteſt, primum ſit ſecura ſalutis et incolumitatis poſſeſſio, eam vero oppugnari ſaepe contingat ab aliis: hinc apparet, armatam etiam eſſe debere maieſtatem illam beneficam, et, quam ſerena eſt et tranquilla ciuibus, quam clemens, quam manſueta amicis; tam terribilem

lem

lem formidandamque illis, qui vel prae se ferant hostilem animum, vel male dissimulent nocendi, si detur opportunitas, voluntatem.

Si quis sub exemplo vno pulcerrimo demonstrare ista, et principem vere magnum, non qualis forte oratione ingenioſi hominis describi potest, sed viuum et spirantem, velit ostendere, illum nominare iubeamus indulgentissimum patrem nostrum, quem non more et consuetudine, sed summo suo merito, et ex animi nostri sententia, verissimique honoris caussa, ita appellamus, patrem igitur nostrum GEORGIVM II, quem Deus ita vt nos amet! Non hoc agimus, vt angusta hac tabella laudes tanti principis complectamur, quibus alius et suus debetur locus, quasque victuris chartis tradere Musae etiam nostrae conabuntur, non ideo minus futurae veraces, quod benigne adeo et liberaliter ab ipso habentur; sed tanto enixiorem daturae operam, ne quid dicant, quod immortalibus magni patris sui, seu Musageten Herculem dicere malint, virtutibus adfictum videri, iustissimisque ipsius praeconiis detrahere potius, quam adstruere quidquam, possit. In praesentia verecunde tantum, et gratissimo tum in immortalem Deum, tum in maiestatis ipsius inter nos vicarium, animo, breuiter strictimque ea attingemus, in quibus magnus nobis, et futurae non minus, quam huius, aetatis praeconio digniſſimus, videtur.

Quod igitur altam populis suis tranquillitatem tribuit, quod suos ciues ab omni externo vel intestino metu praestat immunes, quod, vt sui otio cum dignitate fruantur, orbis pacificator est GEORGIVS, id vnum optimum maximum ipsius decus est, quod memo-

memoriam GEORGII saeculis omnibus commendabit. At illud censequuturus nunquam fuerat, nisi nota virtus ipsius esset, et inuictum illud robur animi, quod iuuenili iam aetate eluxit, cum non cupide modo artes illas arriperet omnes, quibus futuro imperatori ad rem bene gerendam opus est; sed in castris etiam, in sole, et in ipso concurrentium exercituum conflictu exerceret. Neque vero confirmata ac matura aetate egit remissius: sed a quo tempore rerum ipse potitus est, vt pace fruantur et sui ciues, et terrarum orbis, bellicis copiis omnibus strenue comparandis, instruendis splendide, studioseque exercendis, efficit. Quae res eo pertinet nimirum, vt propter iustitiam GEORGII vim nemo ab ipsius armis metuat; vim ipsi, hoc est, cuiquam ciuium ipsius vel amicorum, inferre, propter cognitam tanti herois fortitudinem, tantis armatam copiis, nemo audeat: pacem vero ipsius, amicitiam, et foedera, certatim reges et respublicae adpetant, quibus ipse foederibus non sui modo ampliſſimi imperii salutem, sed Europae totius a praegrauante quacumque potentia securitatem, complectitur. Proinde placida sub his praesidiis pace fruuntur ciues GEORGII, nec silent inter illa arma leges, sed suum cuique ius, quantum humana sapientissimi principis, et integerrimorum ipsius amicorum, prouidentia caueri potest, incorrupte celeriterque tribuitur: leges ipsae, si quae mutatis rebus laborent, emendantur, supplentur, feruntur nouae, et, vti valeant, summa ope prouidetur. Rei familiaris ciuium augendae quantam rationem habeat, (vt praetermissis fortunatae illius insulae rebus, pauca modo eaque recentissima eorum attingamus,

quae

quae ex proximo inſpicere nobis licet) ſumtuoſa et magnifica moles teſtatur, quae Viſurgi nuper fluuio impoſita, pericula et difficultates nauigantium tollit: teſtatur illa indulgentisſimi patris noſtri in populum ſuum pietas et propitia voluntas, quod, quoties ad nos inuiſit, illud agit perquam ſtudioſe, vt de tributis vectigalibuſque aliquid imminuatur; qua re illud conſequitur, vt nemo quidquam ita ſuum putet, quod non patriae ſe patri debere exiſtimet, quod non, ſi opus ſit, aequo animo atque alacri, ad tuendam ipſius ſalutem ſit collaturus.

Cum vero tantam ſecuritatis, otii, bonae copiae, ſuis ciuibus procurandae, curam habeat rex auguſtiſſimus: mirum eſt profecto, quanto idem ſtudio hoc agat, vt ingenia illorum colantur miti et placida, ſeuera tamen eadem adſtrictaque, diſciplina; tum ea, quae religione immortalis Dei et Saluatoris noſtri continetur, tum qua humaniores fiunt homines, et iis rebus, quibus a reliquo animantium genere ſeparamur, praeſtantiores: quanto in pretio habeat ipſe illas artes, quibus hoc efficitur; quam idoneus ipſe earum, quam iuſtus arbiter, quam gratus ſit erga nutriculas pueritiae ſuae, atque adoleſcentiae ſodales Muſas, quas ne regio quidem contubernio arceat; quantis adficiat praemiis, ſi quis aliquid vitae profuturum mentis viribus protulerit; quam ſedulo proſpiciat denique, vt contingant poſteris etiam noſtris, quae ab accuratiore iuuentutis inſtitutione merito ſperantur, commoda. Harum rerum omnium cum ſpecimina proferre plura poſſimus, vnum modo hic quidem commemorabimus, idque maximum; illud ipſum nimirum, propter quod haec ſuſcepta ſcriptio, quod volen-

volentibus fauentibusque breuiter enarrandi hic ipse locus est. Nempe

Aliquot anni sunt, cum serenissimo ac potentissimo principi ac domino GEORGIO II. M. BRITANNIAE, FRANCIAE ET HIBERNIAE REGI, DEFENSORI FIDEI, BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVCI, S. R. I. ARCHITHESAVRARIO ATQVE ELECTORI, PATRI PATRIAE P. F. A. eam mentem adspirauit Deus, vt Germanicae patriae suae, quam aliis quotidie innumerabilibus maximisque ornat et auget beneficiis, etiam illud diuinum et immortale munus tribuere vellet, quo, litteraria vniuersitate intra imperii sui fines constituta, vberior ciuibus nasceretur opportunitas, cultum ingenii, tum quo doctiores fiunt homines, tum quo meliores, capessendi in proximo, et sub illis doctoribus rerum gerendarum praesidia sibi comparandi, qui ad instruendos illos non communia modo docentium officia, sed insuper etiam sanctissimam illam patriae coniunctionem, et religionem patri illius augustissimo debitam adferrent; qui ciues praestarent non generatim modo bonos, sed huic speciatim rei publicae accommodatissimos. Quin vt flumina maiora non illi modo, intra quam nascuntur, regioni commoda praestant, sed diffundunt munera sua etiam ad remotissimos: sic voluit rex noster bona ciuium suorum patere etiam aliis, quicumque placide ac modeste frui oblata sibi commoditate vellent: et quod suis parasset proprie, prodesse vniuersis. Harum rerum cum ratio esset habita, Gottinga potissimum delecta est, in qua sedes ac domicilium nouum Musis constitueretur, de cuius

vrbis laudibus, et quantum illa per hanc ipsam condendae academiae occasionem exornata sit, cum satis iam constet, nihil hic adiicimus. Hoc vnum praetermittere non possumus, non de otio modo honestissimo, tranquilla securitate, commoditateque prospectum esse Musis nostris; sed magnam etiam dignitatis rationem ab indulgentissimo patre nostro esse habitam. Itaque cum regiis tabulis, quibus Caesareae accommodatae sunt, eo iure, quod est optimum, eaque dignitate, quae est maxima, esse iussit hanc Vniuersitatem; tum augustissimi nominis sui honorem illi impertiit, GEORGIAM AVGVSTAM vocari imperauit, sacros vultus et maiestatis suae imaginem sigillo Vniuersitatis insculpi voluit, nec magnificentissimi rectoris nostri titulum dedignatus est.

Supremam quasi manum suo muneri et coronam impositurus rex potentissimus nuper post impeditam diu nauigationem in Brittanniam suam tandem delatus, ipso illo tempore, quo vix vrbi per ipsum florentissimae, vix San-Iacobaeo palatio, et diuinae CAROLINAE complexibus, pignoribusque regiis est redditus, a. d. $\frac{25}{5}$ $\frac{\text{Ian.}}{\text{Febr.}}$ cIↃ IↃCC XXXVII. ad nos respexit, et subscriptas sacra manu litteras ad nos dedit, in quibus primo *commemorat, quam nihil adhuc reliquum fecerit vel curae vel sumtuum, quo rebus omnibus exornata haec Georgia Augusta nobilissimis et optimis quibusque per Germaniam academiis exaequaretur, et dum alias omnes vel commoditates haberet vel ornamenta, tum professores praesertim, doctrinae copia et docendi facultate iam ante cognitos, et exercendi corporis ac linguarum exoticarum magistros longo vsu peritos;*

ritos; quamque felix et optatus curae regiae euentus adhuc respondérit, vt destinata perfici, numerusque talium doctorum potuerit impleri. Subiungit deinde, *ne quid externi decoris, et caerimoniarum quas iustas consuetudo gentium fecit, intermittatur, sibi placere, vt sollemni ritu et festis caerimoniis inauguretur Georgia Augusta; promittitque, se ablegaturum vnum primi fastigii ministrorum, qui personam ipsius sustineat, et quidquid ipse rex augustissimus praesens acturus dicturus esset, sacra vice agat dicatque: tum dignis maiestate regia et paterna indulgentia verbis nos hortatur, vt, quidquid studio nostro ac summa contentione conari atque efficere possimus, illud omne ad dignitatem et decus huic caerimoniae, nobis ipsis adeo honorificae, conciliandum volentes impendamus; iubetque ante omnia illud ipsum inaugurandae academiae consilium publico scripto, tum vobis, ciues carissimi, tum quicumque alii illud ad se pertinere iudicabunt, significari.*

QVOD IGITVR FORTVNATVM ET FELIX REGI, PATRIAE, GERMANIAE TOTI, NOBIS, POSTERISQVE NOSTRIS, ESSE DEVS IVBEAT!

DICTVS EST INAVGVRATIONI VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE DIES SEPTIMVS DECIMVS SEPTEMBRIS ANNI HVIVS SVPRA MILLESIMVM SEPTINGENTESIMVM SEPTIMI ET TRICESIMI.

HVNC NOS DIEM, ET ALIQVOT QVI SEQVENTVR, FESTO RITV ET DIGNIS CAERIMONIIS, PIE, DECENTER, HILARITER, DEO BENE IVVANTE, CELEBRABIMVS.

Proinde vos, illuſtriſſimi comites, quorum numeroſam praeſentiam in primis huius academiae decoribus numeramus; vos, generoſi partim ſanguinis, nobiliſſimi omnes animi iuuenes, qui adeſtis, qui venietis; vos denique omnes, quicumque veſtra referre, quae apud nos aguntur, putatis, certiores hac de re facimus, iidemque hortamur, rogamus, obteſtamur, fauete actioni, fauete muneri regio, praeſentiam dicto tempore veſtram, ſilentium et modeſtiam omnes, comitatum deducendae pompae, quicumque Muſarum ſacris initiati eſtis, honorariam etiam aliam operam, quotquot rogabimini, lubentes volenteſque nobis, quin illuſtriſſimo legato regio, et ſplendidiſſimo conuentui, praeſtate.

Venite, hoſpites, videte, quod neſcimus, an vmquam vel vos, vel liberi veſtri, vel quiſquam adeo viſurus ſit, Vniuerſitatem litterariam Proteſtantium, qui vocamur, ſacris addictam, decenti ritu ac caerimoniis inaugurari. Venite, et, vt ſe noſtra habeant, oculis veſtris credite.

Vos praeſertim, ornatiſſimi viri, ſi quos ingenii et ſtudiorum fiducia ad honores et gradus academicos capeſſendos excitat, ſcire volumus, decretum nobis eſſe, idoneis candidatis, quorum nomina aliquando in actis inaugurationis noſtrae exſtantia non minus huic academiae honori eſſe poſſint, quam ipſis, apud poſteros

ſteros etiam, ibi legi honeſtum erit, tum facultatum, quas vocant, quatuor lauream tribuere, tum poeticam etiam illam coronam pro comitiuae ſacri palatii Lateranenſis iuribus, quibus ornata eſt haec academia, imponere.

Ne diuerſoria commoda aut annonae adeo copia deſit hoſpitibus, diligentiſſima iam cura impenditur, quam fruſtra non futuram, iuſtisſimis cäusſis adducti confidimus.

Deum immortalem rogamus ſuppliciter, vt ſalubritatem coelo noſtro, pacem Germaniae, inconcuſſam regiae domui felicitatem, dulce huic vtrique ciuitati Gottingenſi cum bona copia otium, omniaque ea praeſtare nobis velit, quibus opus erit, vt auſpicato conſecrare, dedicare, inaugurare, publicae felicitatis officinam atque armamentarium liceat. Gottingae a. d. 14. April.

cIↃ IↃCC XXXVII.

* *

XXXV.

FORMVLA LITTERARVM

AD

ACADEMIAS PER GERMANIAM

SACRIS PROTESTANTIVM ADDICTAS

MISSARVM.

Magnifice Academiae Rector (Pro-Rector) Viri ſumme Reuerendi, Illuſtres, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi, Excellentiſſimique, Fautores atque amici honoratiſſimi.

Cum de Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis noſtri conſilio condendae in antiqua hac et nobili olim Brunſuicenſis Ducatus Vrbe Vniuerſitatis litterariae, ac de conſilii illius ſucceſſu, varia ad vos vel publicus detulerit rumor, vel noſtrorum etiam hominum ſermones, litterae, ſcriptaque alia, nuntiauerint: non ingratum eſſe vobis, pro veſtro in bonarum omnium rerum, ſapientiae inprimis ac doctrinae, incrementa ſtudio, ſperamus, publica iam voce noſtra intelligere, in eum modo ſtatum adducta eſſe omnia, vt nihil deſit tanto operi, praeter ſollemnem publicamque dedicationem a. d. XVII. Septembris huius anni, Deo bene iuuante ſuſcipiendam. Ea de re non vobis

bis tantum, Viri celeberrimi honoratiſſimique, ſignificare, miſſis aliquot programmatis ea cauſſa ſcripti exemplis, viſum eſt; ſed ſummo etiam opere humaniſſimiſque precibus a vobis contendimus, vt fauore veſtro, et bonis verbis atque ominibus proſequamini hoc negotium, tum etiam vt fixo in valuis publicis programmate noſtro, vel ſi qua alia apud vos proponendi ratio vſu recepta eſt, ea ciuibus veſtris de hac ſollemnitate noſtra indicetis: idque a vobis pro humanitate veſtra, et illa ſtudiorum, qua deuincti inter nos ſumus, coniunctione, impetraturos confidimus. Sic vos familiasque veſtras fortunet Deus, et decus Academiae veſtrae florentiſſimae, cum magna publica ſalute, ſapienti cura veſtra, eruditaque opera, altius ſubinde ſurgere atque exſplendeſcere iubeat.

Celeberrimorum Honoratiſſimorumque Nominum Veſtrorum

Cultores ſtudioſiſſimi
Academiae Georgiae Auguſtae
Commiſſarius Regius &
Profeſſores reliqui.

* *

XXXVI.

GRATIARVM ACTIO.

Sereniſſimi atque potentiſſimi Magnae Britanniae Regis, Regis ac Domini noſtri indulgentiſſimi, Illuſtriſſime atque Excellentiſſime Legate primarie, illuſtris legate ſecunde, Domini, Patroni, Hoſpites, Collegae, Ciues, ſuis quique nominibus, virtutibus, muneribus, condecoratiſſimi, honoratiſſimi.

Si quis vnquam ad dicendum proceſſit, cuius animus in diuerſas quaſi partes prima cogitatione traheretur, atque rapi videretur in oppoſita, cum me hodie eſſe ſentio: cui hinc laetiſſima omnia ſeſe offerant, quae facile vel iacentem erigere, et ſpiritu quodam atque alacritate implere poſſe videantur; hinc autem circumſtent quae ſatis etiam audacem, et minime timidum, debilitare ac deprimere debeant.

Vidimus enim, vidimus diem votis omnibus diu a nobis expetitum, de quo non inuidi modo dubitare ſe ſimulabant, ſed augebantur etiam amici, diem, quo ornamentis demum omnibus ſuis inſtructa ab Auguſtiſſimo Patre ſuo in publicam quaſi lucem prodiret Academia Georgia Auguſta. Plurima ſunt, luculentiſſima ſunt diuinae prouidentiae, Academiam hanc ex nihilo, vt magnam illam rerum vniuerſitatem, producentis, veſtigia: quod Sapientiſſimo Regi noſtro condendae Academiae mentem dedit, quod Gottinga delecta eſt, quod aliorum animi, vt huic operi fauerent, inclinati ſunt, quod multae adeo opportunitates

quaſi

quasi casu oblatae, quod superatae feliciter tot difficultates, et quae reliqua non possunt non his praesertim diebus occurrere illis, qui per hosce aliquot annos, ab suis inde incunabulis, ex proximo, Georgiam Augustam obseruarunt, infinita numero, quaeque nullius satis aestimare animus, aut lingua praedicare potest. Sed nescio quomodo defixa iam mens in ipsis, quae adhuc oculis obuersantur, dedicationis sollemnibus, vix potest ab illa re cogitanda abduci, quae caeteris comparata, non ita magni momenti fuisse potest videri: sed quemadmodum festiuae hilaritatis et laetitiae publicae speciem toti actioni nostrae circumfudit, ita cum ipsis corporibus animos alacritate quadam impleuit, et percipiendo intimis sensibus gaudio reddit aptiores. Nempe videtur Deus, verus ille pluuius et nubicogus, vt toti huic operi: ita etiam ipsi fauisse huic cerimoniae, qui post aestatem ventis, pluuiis, tempestatibus turbidissimam, in qua vix duo deinceps sereni dies nobis contingerent, aliquot ante haec sacra diebus, subito serenitatem coelo eam induxerit, quae ipsa ad exhilarandos omnium animos valeret, quae commoditatem praestaret confluentibus ad nos hospitibus, quae procedentibus sollemni pompa opportunissime accideret, quae splendorem vestium, et insignium, spectaculum ita decorum, vt Gottinga nihil tale vnquam viderit, non foedaret aquis, sed luce potius sua accenderet. Nubem non vidimus aliam, quam quae in ipsa prima et maxime sollemni pompa, quasi velo quodam et aulaeo obtento, ardorem solis nimium a capitibus nostris defenderet: caeterum illam corporum animorumque serenitatem minime impediret. Vt rebus omnibus

aliis, in quarum propaganda ad posteritatem omnem memoria summa cum voluptate alias versamur, quam propitio in nos animo esset, declarauit Augustissimus Rex, et Pater noster indulgentissimus: sic praesenti quasi luce mouent oculos animosque, et ad hilaritatem impellunt, splendidissimus cerimoniae huius apparatus, ornamenta honorum nostrorum et signa munerum externa quae huic suae Academiae talia tribuit, vt qui nos sic ornatos videat, ei non humiles literati secessus incolae, sed magnae ac beatae alicuius ciuitatis Senatus Populusque videamur. Quantum vero illud est gaudendi argumentum, quod legatum nobis misit, qui sacra vice hac cerimonia fungeretur, Illustrissimum Heroa, immortalibus nobis, in vniuersos pariter atque singulos, beneficiis notum, cuius vel obiter vidisse vultum, quem vel e longinquo salutare, summae nobis voluptati est: hunc igitur misit, qui non Maiestatis tantum Regiae splendorem atque auctoritatem nobis repraesentaret; sed etiam miti illo ac placido vultu, coniectu oculorum, alloquio, illa nobis praestaret, quae in Rege nostro tantopere amamus, propter quae Serenitatis Tranquillitatisque nomina principes acceperunt; quem proinde qui adspiciat, eius animus non possit non ad laetitiam quandam et alacritatem erigi, nedum vt spiritu solito maiori animetur is orator, qui tot documenta habeat, tot pignora, diuinae cuiusdam in se beniuolentiae, a qua exspectare summa omnia, et quidni benignam audientiam? securus possit. Peracta est cerimonia eo ordine, ea elegantia, vt non ab his, quos vitae genus debilitaret ad conspectum hominum ac lucem ferendam, non ab his, quos iuuentus et mobilior sanguis leuiores et inconstantio-

res

res reddere putatur, sed a viris longa militia ad eam rem exercitatis, acta esse videretur.

Moderationis, elegantiae, modestiae suae impleuit ciues nostros, ne ipsum gaudium eos in transuersum ageret, Legati Illustrissimi amor, cui gratius facere se non posse arbitrarentur scilicet, quam si tales se praeberent, qualem ipsum fuisse, cum Academici caetus pars esset, ab his, qui eum norunt, acceperant. Ciuibus nostris modestia nihil concesserunt hospites, aliarum Academiarum generosissimi nobilissimique. Hoc solum virtutis et modestiae certamen, nullum praeterea, cum ipsis decertarunt, vt dubia victoria, certis mutui iudicii ac voluntatis pignoribus, discesserint partim, partim discessuri, partim propter haec ipsa vel mansuri sint vel redituri.

Hisce rebus omnibus, Domini, et AA. OO. OO. HH. ita me sensu toto et intimis quasi medullis commoueri fateor, vt vix se capiat animus, vix ferendae laetitiae, nedum decenti oratione exprimendae, par esse videatur.

Verum enim vero ab altera parte visum quasi praestinguit ipsum, vertiginique proximum me facit, inusitata et quali nunquam ante dixi, frequentia. Debilitant animum iudices, qui hic sedent acerrimi: ipsa vox imbecillior, quam quae contentionem magnam ferat, aut tanto auditorio sufficiat, animum deprimit. Subit mentem et cogitationem metus comparationis cum summis viris, qui per duos hosce dies ex hoc ipso loco auditi sunt; cum Illustri praesertim Oratore Regio, cuius eloquentiam, memoriam, actionem, nulla ratione potero adsequi. Quin ipsa obuersatur animo, et caliginem quasi oculis offundit, aeternitas, et

quae

quae longissima erit posteritatis memoria, cui dicere, cuius experiri iudicia videtur, qui in tanta, quanta est hodierna, sollemnitate dicere iussus sit.

Quid igitur? Quae ambo conturbare me videbantur, et animum e sede atque gradu demouere, iis ad hoc vtar, vt alterum altero quasi temperetur, et intra terminos coërceatur suos. Moderabitur exultanti laetitiae pudor tam illustris auditorii et verecundia: pudorem laetitia subleuabit, et vestra Domini atque AA. beniuolentia, qua res omnes huius Academiae vos prosequi, tot documentis per hosce ipsos dies demonstrastis. Materiem dicendi vberrimam ipsa praebebit, propter quam huc escendere iussus sum, sollemnitas. Neque enim aliud agere me patitur animus, neque ipsi vos aliud, puto, expectatis, AA. quam de magnitudine beneficii atque muneris, quo rempublicam adfecit optimus Patriae nostrae Pater GEORGIVS. De hoc itaque dicemus et

Academiam Georgiam Augustam magnum reipublicae pace belloque praesidium esse, pro ingenii viribus demonstrabimus. Haec alacriter et sine metu, qui ab huius diei sollemnitate, qui ab omnibus GEORGII SECVNDI ciuibus abesse debet, exsequar.

Rei publicae praesidium cum inesse dico in Academia Georgia Augusta, non vereor, ne parum promissi memor paullo post videar, cum ea etiam commemorabuntur, quae non tam ad vniuersitatem ciuium, quam ad singulos quosdam pertineant. Quis enim est, qui non intelligat singulos esse, qui populum efficiant, ipsaque adeo multorum priuatorum felicitate publicam contineri, et quae publica appellatur, eam propter hoc ipsum ita dici, quod ad populum integrum,

grum, id est ciues singulatim omnes, certis sub conditionibus pertineat: licet quamdiu homines sumus, in republica etiam optime ad singulorum salutem commoditatemque attemperata, incidere tempus possit, vbi publicae salutis caussa vnus aliquis aut plures etiam, non commodi solum priuati nihil percipiant; sed damno quoque, nec mediocri illo, videantur augeri: publicae denique felicitatis partem esse, quidquid eam vim habeat, vt facilius impetretur illud, cuius caussa in ciuitates coitum est, otium cum dignitate, quod constat secura omnium, quae nostra vocamus, cum a vi intestina, tum ab externis iniuriis possessione, eorumque augendorum opportunitate.

Lubet hic vel in transitu attingere atque admirari diuinae sapientiae prouidentiaeque aliquam particulam, qua ita inter se deuinxit ac temperauit, publicam salutem et priuatorum commoda, vt etiam cum suam rem agere, cum sibi solis videntur prospicere, vel inuiti agant, quod publice vtile est.

Fuerunt, DD. et AA. ab omni saeculorum memoria homines acuti sane et minime vel ab ingenio vel ab aliis rebus contemnendi, qui inspecta curatius humana natura iisque rebus, quibus plerique ad agendum aliquid impelli solent, plane negarent, quemquam facere quidquam, vel facere debere adeo, publicae rei caussa: inane id nomen esse, et otiosorum hominum commentum, quo os interdum sublini plebeculae possit, aut soni quidam excitari permulcendis quorumdam hominum auribus, pauciorum voluntatibus impellendis, aptos: caeterum sua caussa facere sapientem, quidquid faciat, sui rationem habere, sibi suauitates, sibi parare commoda; hanc eum solam, nullam praeterea alio-

aliorum curam, nisi in quantum ad ipsum aliquo modo pertineant, suscipere.

Terribilis profecto et capitalis oratio, si audiatur a profanis hominibus, stupidis, humo adfixis, qui verae voluptatis, verae vtilitatis suae ignari, libidinis illam fructu, hanc copiis, quae in stultos etiam et malos incidunt, metiantur.

Itaque optabile erat, qui ita sapiunt, eos domi tanquam castam virginem continere suam sibi sapientiam, nec nisi cum idoneis eam arbitris forte ad disputandum communicare, ne ferocientium equorum instar adhinniant ei homines, coeco cupidine malisque libidinibus furiati, et nihil nisi obtentum et excusationem quaerentes insaniae, in sua pariter aliorumque viscera grassantis.

Caeterum ipsi qui sic philosophantur, multo ad speciem peius loquuntur quam sentiunt, multa quam sentiunt forte melius viuunt: melius quidem profecto, quam bona pars eorum, qui perpetuo aliis occinunt Platonicum et Tullianum illud, *Non nobis solis nati sumus, ortusque nostri partem patria sibi vindicat.* Itaque videas periculosae illius sententiae professores non suae tantum vitae priuatae modum sapienter tenere, sed in rep. etiam administranda sic versari, vt qui iustitiam eorum, integritatem, et inaccessam corruptelis omnibus sanctitatem videat, miretur eos, qui ista loquantur, ista sentiant; ista facere; cum illud alterum, bene dicere et agere male, tralaticium sit, et ea ipsa de caussa vix a quoquam animaduertatur.

Neque illud me valde mouet, quod dicunt quidam, eos ipsos Carneadea sententia homines tum certe peccaturos, tum nocituros reipublicae, cum latere sua facta

cta posse sperent, cum nihil inde ad se incommodi redundaturam, certo praeuideant. Verum nolite nimis, D D. atque A. A. eos metuere, qui ratione quadam in illam sententiam ducuntur, (nam adhinnientes illas belluas iam septo disclusimus) sunt iidem fere homines, vti diximus, acuti, qui facile videant, non poni posse vmquam a prudenti homine eam conditionem, neque spem esse, vt adipiscatur aliquis illam orci galeam, aut annulum Gygis. Itaque viuunt cautius etiam iis, qui pulchra sententia tegere interdum scelesta facinora conantur; et boni ciues sunt, ac tanto praeclarius publicae rei consulunt, quanto magis suae student felicitati; quippe quam in tranquillitate animi ab omni metu libera fere collocent: caeterum sibi aliquantum officiunt, laudem amittunt, non habent quod imputent rei publicae, quam curare se negent eo ipso tempore, quo vel maxime illi inseruiunt.

Sed alienior est ab huius diei sollemnitate subtilior eius rei disputatio: ad rem nostram satis fuerit, agnoscere diuinam sapientiam, quae priuata commoda publicis ita miscuerit, vt altera alteris, si vere rem putes, contineantur.

Iure igitur hac oratione comprehendemus, si quae ex Georgia Augusta vtilitates non proxime ad omnem rem publicam, sed ad priuatos quosdam pertinere videantur. Aggrediamur autem propius, et bona, de quibus dicendum est, ne turba nos obruat, partiamur in duas classes, videamusque, quantum paci et otio, quantum item rebus bello turbatis, vel praesidii vel ornamenti Academia Georgia Augusta promittat.

Vnde autem potius incipiamus, quam ab ea re, quae maximum ad vtraque momentum habet, sed

paci

paci tamen propior et cognata magis videtur; a religione immortalis DEI, praecipuo illo et validissimo ciuitatum et societatis omnis vinculo, quae tum sententias de suprema natura sanas, tum ortam inde venerationem illius, complectitur. Publicam autem rem esse religionem, ab antiquissimis inde memoriae humanae temporibus existimatum est. Hinc, quibus reip. procuratio commissa esset, iidem etiam religiones curabant; hinc firma se reipublicae fundamenta iacere, et obsequio legum atque magistratuum, vel principum adeo, deuincire homines, tum demum putabant, si metum atque spem superioris naturae adiecissent.

Neque vero peccasse in hoc censendi sunt ii, quos sapientissimos maximosque legislatores vetus aetas vidit, aut magnorum numero impostorum habendi, quod religionum vinculis adstrinxerunt populos, licet infelices fuerint, quatenus verum peruidere, et purissimo fonte haurire pietatem, illis non contigit. Cum enim illa Dei cognitio, quam animus noster ipsa sua et reliquarum rerum natura considerandа percipit, vel sit subtilior, quam vt a plebe humi depressa, et immersa faecibus, capi queat, vel imbecillior, quam vt animum, per potentissima sensuum irritamenta saepe turbatum, continere possit ac temperare: opus est externis quibusdam rebus, quae et ipsae per sensuum ministeria potenter admoueantur animo, et ne ille in transuersum abripiatur, impediant. Quod ita esse, non ea tantum, quae per Mosen tradita est, sed ipsa etiam, quam Dei filius nobis attulit colendi patris sui rationem, ostendunt: seruata quidem prout diuina sapientia dignum erat, vtriusque temporis quasi proportio-

portione quadam, vt magis ad ſenſus alligata eſſet Iudaica profeſſio, in gente, quam externis diuinarum rerum ſignis carere non poſſe Deus videbat; Chriſtianorum cultus magis ad immortalem noſtrum ſpiritum referretur.

Sapientes igitur viri, Minos, Numa, reliqui, in hoc non errarunt, neque in errorem abduxerunt alios, aut impoſtores adeo fuere, quod religioni pompam quandam adiecerunt, qua ſenſus quoque externi mouerentur: ea enim opus eſſe cum viderent, nec tamen veram illam traditamque diuinitus perſpicerent; innoxio, vt putabant, ac felici errore circumuenire ciues ſuos maluerunt, quam religionem neceſſario illo aurium, oculorum, imaginationum, apparatu priuare. Quodſi tantam vim error habuit ac ſimulatio; quid non coeleſtis ipſa veritas efficere recte adminiſtrata debebat? Illud ſane nemo mihi eripiet, feliciſſimam futuram ciuitatem, in qua non frigida aſſenſione, non verbis intra labia naſcentibus pereuntibusque, ſed toto pectore intimisque velut medullis concepta veritas regnet ad eum modum, vt, quod verum, quod honeſtum, quod probabile Deo iudicent homines, idem etiam, quantum niti poſſunt, faciant. Id vſque eo non verum modo, ſed confeſſum eſſe noſtis, DD. et AA. vt inter ea argumenta, quibus Chriſtianae religionis praeſtantia demonſtratur, haud poſtremum illud ipſum ſit, quod doctrina, a Ieſu Nazareno eiuſque legatis tradita, ingenio hominum ac ciuitatis naturae ſic accommodata eſt, vt nulla felicior excogitari res publica queat illa, in qua Chriſtus vincat, regnet, imperet.

Suauiſſima eſt haec cogitatio, a qua cum hanc orationem meditarer, vix reuocari hic poteram, niſi

consilio capto, quod religiosi vim promissi habere volo, illius aliquando per otium reuocandae, et non Solis ciuitatem, non Platonis, non Seuerambium, sed Christi seruatoris Euangelicam rem publicam commentatione diligenti, et stilo, quantum eius possim, amoeno, rem nempe amoenissimam, persequendi.

Atque haec forte non habeant magnam dubitationem, certe inter eos, qui sanctissimam nostram disciplinam profitentur. Supereſt illud, de quo maxime disceptatum est, valeant ne ad religionem aliquid Academiae? sperarine possit, futurum, vt religiosiores, et per hoc ipsum feliciores, fiant ciues Augustissimi Regis nostri, Georgia Augusta condita? Hic vtinam non haberent, quod specioſe dicant Academiarum atque litterarum hostes; tantum abesse videlicet, vti meliores fiant ciues vel ipsi, qui literis in Academia operam dederint, vel alii, qui cum his versentur, vt potius et illi ingeniosius mali fiant, et hos infelici contagione inficiant.

Ac sane difficile illis non fuerit, quamcunque Academiam vel optione delectam, vel ductam sorte, nominaueris, inuenire in ea quam plurimos, qui corruptissime viuant, qui doctrinam ipsam salutarem, qui artem quamcunque, et litteras omnes, in suum aliorumque dedecus, noxam, perniciem, conuertant: qui ita se instituant, quasi hoc ipsum agant, vt infament litteras, vt quem ad modum inter probabilia ponit Tullius, eos qui philosophiae dent operam, non arbitrari Deos esse; sic probabile videatur, qui in Academiis viuunt, eos a Christianorum religione abhorrere. Vtinam, inquam, vana omnino esset ista accusatio! vtinam arceri a Musarum praesepibus possent, qui illam

castis-

castissimis virginibus infamiam conciliant! Vtinam exemplo vel vnius vrbis eruditae disputari contra ingeniosum virum posset, qui nuper, de doctrina et moribus Apostolorum primorumque Christianorum vbi agit, eo tandem euasit, vti populos barbaros, et ab omni humanitatis ac litterarum cultu vacuos, beatos praedicet, veros Christi discipulos, qui illum innocentiae quem vocamus statum, et primigeniam naturae integritatem habeant, robustos medico nihil indigentes, reliqua. Sed vel sic non deest, quod responderi his, qui ita disputant possit. Qui enim ex eo, quod multi, et quid si maior pars hominum? optimo ingenio praediti, male illud vel per otium corrumpant, vel consumant in nugis, argumentum ducere velit, nullam esse illius ad optimarum litterarum studia vtilitatem: is eodem modo argumentetur, quo hi, qui ista aduersus litteras ipsas disputant; id est aeque falso rationes subducat. Praestat sane illitteratum esse, quam sic vti litteris, vt furiosus gladio, vt chirurgus imperitus cultello, vt vino ebriosus: sed praestat studiis doctrinae vti ad amplificandam supremi Numinis inter homines cognitionem, et cultum pluribus commendandum, quam stupore et ignorantia excaecatum vel in tenebris iacere, vel vltro mendacibus, aut versantibus in errore, doctoribus obsequi. Est profecto diuinum beneficium, quo suos ciues, quo Germaniam affecit GEORGIVS, Academia Georgia Augusta condenda, primum eo nomine, quod magna sic nata est opportunitas, sanum de Deo atque pietate sensum propagandi et communicandi cum pluribus. Cogitate ipsi AA. quot iam recitationes habitae sunt a viris merito venerabilibus, quos laudarem, nisi collega essem,

bonae frugis pleniſſimae. Quantum illud eſt, quod ſingulis diebus dominicis horam nobis tribuunt religioni accendendae, nutriendae, confirmandae. Putatiſne plane fruſtra conſumtam illam operam? Quid ſi vel vnus et alter melior factus eſt eorum praeſertim, qui ſacro huic miniſterio mox adhibiti, ſuum aliis bonum fermenti inſtar impertient, de ſua ſcintilla excitabunt incendia? Quantum priuato colloquio, et amicis cohortationibus profectum putatis? Quantum hac ſapientia et moderatione ſua noſtri nobis Theologi proſunt, qua non anſam praebere contentionibus, non nutrire controuerſias ſed opprimere, ſed pacis ſtudium amabiliſſimum cum accuratiſſima veritatis cuſtodia coniungere, ipſos videmus.

Ipſi nos modo nobis non deſimus; agnoſcamus modo bona noſtra, ac ſummum nobis contigiſſe beneficium, et dum mortalis vita manet, et per omnem aeternitatem laeti agnoſcemus.

Veſtrum praecipue eſt, felices, ſi velitis, animae, qui huic ipſi rei datis operam, vt Dei aliquando ad mortales legatione perfungamini, veſtrum eſt Diuino Regioque beneficio ſtrenue vti, eamque, quae deſtinatur patriae, felicitatem vobis vindicare ante omnia, ac deinde perferre ad reliquos, atque hoc in primis accuratiſſimo ſtudio cauere, ne veſtra vita, veſtra non libertas, ſed licentia, (vehementius quiddam dicere bono hoc die nolim) fructum illum rei publicae intercipiat, et nouum his exemplum ſubminiſtret, qui temere illi quidem, ſed ſpecioſe profecto, et vt refutare illos difficile ſit, cum Salluſtiano Mario pronunciant: Non placent illae mihi litterae, quae ad virtutem docto-

doctoribus, ac discentibus, nihil profuere. Placeant hominibus per vos, per vestram modestiam integritatem, castitatem, virtutes reliquas, sanctae litterae, easque, vobis si profuerint primum, magno etiam opere profuturas rei publicae, ne dubitate. Felices vos! beatam patriam! damnatum voti sui, compotem consiliorum GEORGIVM! si non ita multo interiecto tempore non doctrina modo vberiore, sed ciuibus etiam magis ad Christi disciplinam compositis, patria efflorescat. Sic futurum ominamur haud fallaci augurio; magnaque pietatis et religionis incrementa patriae nostrae ab Academia Georgia Augusta spondemus: eamque rem publice non minus vtilem, confirmante praesertim magno doctore Paullo, credimus, quam illud, quod omnis in vniuersum eruditio ac doctrina, quique illas profitentur, GEORGIO commendante, lumen ac splendorem accepere. Nemo dubitat, sapientissimum Principem esse GEORGIVM, qui non cupide, non impetu quodam, aut temeraria animi inductione agat quidquam; sed quanti est vnaquaeque res, tanti illam aestimet. Cum igitur vident homines, condere GEORGIVM primo huius seculi exemplo Academiam, tanta illam dote instruere, ipsum se Rectorem illius ferre, conquirere vndique viros eruditos, maioribus illos, quam sunt vsquam, salariis, eoque omnes honore, quo sunt consiliarii, ornare, maiusque adeo pretium bonis litteris atque artibus statuere, quam non temere a quoquam statutum est: haec, inquam, cum vident ii etiam, qui per seipsos satis iudicare de his rebus non possunt; nonne maiorem animis opinionem de litterarum studiis concipere, nonne aestimare, admirari, appetere discent eam rem, quam tanti suis

populis emat GEORGIVS? Quantum autem in hoc ipso sit ad felicitatem publicam momentum, tum demum apparebit, si quis per singula eorum genera ire, quae doceri Rex iubet, voluerit. Id quod vos mecum, domini atque auditores, tanto facietis lubentius, quo iucundius vobis est, in his rebus, quas per se ipsos amatis, in quantum eaedem sunt Regum optimi beneficia, versari. Quantum igitur in his est, quod GEORGIO elaborante, in patria hac nostra iuris diuini humanique fontes multo fluere vberius coeperunt.

Non desunt quidem forte hodie inter Germanos priscis illis et hirsutis similes, qui post Varianam cladem in caussarum praecipue patronos saeuierunt: aliis, Floro teste, oculos, aliis manus amputabant; vnius os sutum recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, Tandem, inquit, vipera, sibilare desiste! Verum horum in rabulas iustae sed impotentes irae pretio rei sanctissimae et pro rebus nostris vtilissimae, quin necessariae, derogare non debent. Maximum profecto populis tuis, et vniuersae Germaniae manus tribuisti, GEORGI, Rex Augustissime, constituto dedicatoque in vrbe tua oraculo, quod, si fauere pergat Deus, non minus olim celebrabitur, quam Themidis illud inter Graecos fide hominum et praedicatione floruit.

Ita quidem vt speremus, DD. et AA. antecessorum apud nos clarissimorum parta optimis artibus fama facit, et studium non vicinorum modo, sed etiam remotissimorum, qui certatim huc mittunt, caussasque suas hic iudicari, de suo sibi iure ex hoc oraculo respon-

reſponderi, petunt, auctoritate noſtrorum non in Romano tantum per Germaniam imperio, ſed in ipſa, vt hoc vtar, Romana curia vti, e re ſua arbitrantur. Quod quam honorificum non modo ſit huic ciuitati, ſed quam ad multas res alias vtile, ne explicari quidem in hoc concilio opus eſt; vt nec illud, quod magnam quotidie vim generoſorum nobiliſſimorumque iuuenum confluere ad illorum ſubſellia videmus, qui, cum plenum iuris omnis diuini humanique peritia pectus hinc retulerint, illam ſtudiorum ſuorum matrem nunquam non amore et beniuolentia complectentur, et, quae ſibi profuiſſe ſentient, ea aliis etiam commendabunt, atque illud in primis, quod ſuus publico iuri, naturali ſuus profeſſor eſt conſtitutus; quo diligentius eas hic tractari partes, vero ſimile eſt. Hinc fiet, vt latius ſemper ſpargatur non fama tantum huius Athenaei, ſed publica etiam vtilitas: cum hinc idoneis iurisconſultis, cauſſarum vel patronis vel iudicibus, minoribus maioribus, augeatur patria; hinc habeat in aliis ciuitatibus, homines in dignitate atque auctoritate conſtitutos, qui ſeruent aliquam beneficii, quod hic accepere memoriam, et ſint nobis quaſi fraterna quadam et domeſtica neceſſitudine coniuncti.

Neque vero multitudo nos medicorum et turba perdet, quam infelicis monumenti apud Plinium inſcriptionem in contumeliam diuinae artis trahere; impium prope fuerit. Agnoſcamus potius Dei, illiusque inter nos vicarii, beneficium, quo ſalutaris corpori noſtro artis diſcendae opportunitas vberior oblata ciuibus, quo, ob virorum in arte praeſtantiſſimorum praeſentiam ad duros etiam morbos, ad periculoſas corpo-

ris iniurias, non ita perhorreſcimus: quo ſperamus, populares circa victus et curandi rationem errores paullatim expugnatum exſtirpatumque iri, eaque ipſa re vt minus crebro egeamus medicis, vt minus multum morbis et morti liceat, iri effectum. Ne plane aliquando ſuperuacua ſit eorum opera, non metuunt, qui noſtram intemperantiam non ignorent: quin ſimiles noſtris medici, etiam ſi omnes valeant reliqui homines, tamen habebunt, in quo oblectentur, magnum illud naturae matris theatrum, cuius vel puſilla portio ſummum ingenium pluribus annis cum iucundiſſima voluptate occupare poſſit; in quo, ſi velint, rem familiarem, ſine cuiusquam vel dolore vel iniuria augeant.

Faceſſant itaque intempeſtiui ſales, ſuperiores quas vulgo vocant Facultates eo nomine infamantium, quod ab humana ſtultitia et malis ortae iisdem alantur, ſuperuacuae ſtatim futurae, vbi primum ſapere quaſi poſtliminio incipiant homines. Nimirum nec legibus nec magiſtratibus opus erat inter perfecte ſapientes: nec cibo aut potu, nec domo aut veſtibus indigebunt, qui poſt hanc vitam beati erunt. Sed ideone minoris ſunt iſta omnia? Hoc agamus, vt vitam, qualis qualis nunc eſt, non tolerabiliorem modo, ſed felicem, quantum eius fieri poteſt, reddamus: indigeamus quidem per moderationem noſtram pauciſſimis, recte, quibus carere non poſſumus, vtamur, amemus, per quos ea nobis contingunt: ſapientiam atque indulgentiam praedicemus Auguſtiſſimi Regis noſtri, cuius prouidentia eorum, quae adhue diximus, faciliorem longe copiam patriae noſtrae aliisque, ſi volent, procurauit: atque

que illud etiam egit condenda Academia Georgia Augusta, vt illae artes, sine quibus eae, quas adhuc commemorauimus, neque tradi feliciter, neque percipi accurate possunt, floreant in posterum, et studiose colantur: vt a numeris et ab erudito illo Geometrarum puluere politi homines ad naturae cognitionem et reliquas doctrinae partes paratiores veniant, vt ratiocinandi praeceptis atque exemplis firmati, vt morum ac prudentiae doctrina imbuti, vt historiarum tanquam oculo instructi, illius praesertim, quae doctrinae omnis fata persequitur, cuius peculiarem Gottinga professorem habet, vt intelligendi eloquendique exercitatione subacti ad reliqua accedant, vt parandae tuendaeque rei familiaris rationes, quae et ipsae suum apud nos professorem habent, animo ante comprehensas ad vitae actum transferant. Quibus rebus vt tanto felicior in Academia dari opera possit, ratio etiam a sapientissimo Rege habita est, constituendo seminario iuuenum aliquot, ea praesertim studia aemulantium, quorum quo largiore hausto quis irrigatus accesserit ad reliqua, tanto illa felicius solent succedere. Hi igitur iuuenes excitari praemiis ad id incumbent sedulo, ne desint, qui scholis priuatis publicisque idoneos altioris disciplinae alumnos forment, qui educationis curam tanto agant felicius, quo ipsi antea diligentius accuratiusque de hoc ipso tanti momenti negotio edocti fuerint. Est profecto digniſſima attentione, digniſſima gratiis omnibus, vere regia, vere decens communem patrem, cura educandae non iuuentutis modo, verum etiam pueritiae. Siquidem nisi mature iis rebus imbuantur homines, quibus meliores eos fieri constat, frustra fere deinde laboratur. Igitur hoc etiam no-

mine magnum reipublicae munus erit Georgia Auguſta, quod hic inſtituti formatique pueritiae adoleſcentiaeque magiſtri mox formabunt ipſi, qui huc tanto paratiores ad capiendum animi cultum vberiorem veniant.

Qui rerum naturam paullo conſiderant attentius, illi cauſſarum quendam atque effectuum orbem et vices obſeruant, quibus incolumitas huius vniuerſi continetur. Sic vapores, a calore ſublatos e mari, in terram ventus et ſua grauitas praecipitat; hinc in flumina collecti maria augent iterum, materiemque nouis vaporibus, hoc eſt ſibi ipſis ſufficiunt. Eo res publica perfectior eſt, quo magis orbem illum naturae imitatur, quo magis ipſa ſe per vices ornat, auget, inſtruit. Eo plenius ſuum haec Academia finem, cum publica felicitate coniunctum, conſequetur, quod ſibi parabit ipſa, qui idoneos paullo poſt ſubmittere ſibi ciues poſſint. Quamquam multo latius patet ſeminarii illa vtilitas, vnde ſcilicet non Georgiae Auguſtae modo ciues futuros ſperemus meliores, ſed ad omnes, qui in humiliores quoque ludos mittentur, fructum aliquem peruenturum ominemur. Eadem igitur optimus pater noſter hac quoque in re et Academiam ornauit ſuam, et toti proſpexit patriae.

Quid? ſi dicam, illas quoque artes, quae vel maxime abhorrere videntur a litteris, decus et incrementa habere ab hac litteraria vniuerſitate? Nihil profecto dicam, quod non vobis, DD. et AA. me probaturum confidam. Quin ipſi iam rerum documentis certi eſtis, agriculturam, almam illam rei publicae nutriculam, circa vrbem agrumque Gottingenſem effloreſcere laetius; iumenta melius habita, quod plura merendi

eſt

est occasio, et pabulum ea ipsa caussa largius; cultiores hortos, quod macellum illud in aucta hominum multitudine magis frequentatur; pecudes opimiores; pleniores cohortes, rusticos ipsos nitidiores. Haec initia: quid paullo post? vbi naturalis doctrinae fundamenta, et magnae matris Telluris, Iouisque coniugis notitiam, apud nos contractam, in agros suos et praedia transferent viri nobiles, conductores, sacerdotes etiam pagani, quorum animaduersis successibus, certatim hos alii aemulabuntur, quibus gratam cum se Mater Ceres praebuerit, spiceaque illos corona quotannis donauerit, paullatim felix ad omnes contagio industriae transibit, vt, si qui etiam languere adhuc videbantur, et minus soli huius vber et beatitatem agnoscere, si qui instrumento vti minus commodo, paullo post tamen cultissimis Europae prouinciis haec nostra patria comparetur, auctoremque tanti muneris factum, Academia sua condenda celebret GEORGIVM.

Easdem illi gratias agit reliquarum artium caussa, quas mater earum Geometria prouehet, quas cultus vberior aedificandi iam allexit, et magis magisque suscitat. Qui ante hos quatuor annos vrbem nostram videre, et nunc in eam redeunt, vix suis credunt oculis, eandem esse, aut potuisse tantam in illa mutationem tam breui tempore peragi: ita veteri absterso squalore nitent pleraque omnia; ita ruinas e calamitate superiorum temporum reliquas refectas pleraque; ita commodiorem elegantioremque aedificandi rationem passim adhibitam, vident; eo autem fine peracta omnia, vt hinc commodius musae habitent, hinc ciues sumtuum in domos suas factorum minus poeniteat:

teat: quorum insuper bonam partem aerarium patriae publicum sustinuit; cum aequum iudicaretur, subueniri ex publico vrbi, cuius futura felicitas adeo totius patriae rationibus innexa esset: vt hoc ipsum, quod modo de artibus dictum est, ad reliquas Augustissimi Regis nostri prouincias Germanicas sine vlla dubitatione pertinet.

Quis enim negauerit, bene euenturum patriae, si porro typographia apud nos floreat, si chartae hic elaborentur, si imprimantur libri, qui nitore et elegantia certare possint cum praestantissimis; si aliunde Visurgis ad nos tergo perferantur litteratae exterorum merces, et ad alios hinc distribuantur. Et hoc mercaturae genus celebrabit patriam, et aliarum rerum, quibus negatis dolet mollior natura, commercia multo procedent felicius, qua de re tanto minus verba facienda sunt, quo ea clarius in omnium oculos per se incurrit.

Maximum igitur pacis ornamentum, Rex Pacifice, GEORGI, habent tui ciues, et qui nunc sunt, et qui ad finem vsque saeculorum feliciſſimae soboli tuae parebunt, Academiam Georgiam Augustam: sed nec minus belli praesidium. Non nos quidem, quae propria imperii tui felicitas, et summa tua laus est, te imperante, Deo eam porro tibi mentem, ea consilia, subiiciente, bellum metuimus, quibus contigerit, te habere regem, principem, patrem, qui non tuum modo imperium, tutum vndique praestes, sed totius Europae pacem sapientissimo arbitrio moderaris ac tueare.

Sed, vt soles alias, Rex Sapientissime, belli studiis firmare pacem, sic instituenda hac tranquillitatis sede

ſede atque otii, multum etiam alterius temporis neceſſitati proſpexiſti. Itaque ſi cuiusquam iniuriae vel defendere bellum vel inferre te tuosque ſucceſſores cogant, (quam tamen neceſsitatem longe abeſſe, nec ingruere vnquam, votis omnibus optamus) ſi igitur bello opus ſit, Muſas in Georgia Auguſta etiam eſſe armatas, bellipotentem Mineruam, apparebit. Vt enim primae in bello partes ſunt conſilii et prudentiae; vt ipſi, qui arma habent, ea, quae decreta ſunt in Conſilii Regii adytis, exſequuntur: ita hic formantur formabunturque, qui gentis ſuae claritatem, et generoſum illum ſanguinem, ſic praeceptis ſapientiae arment atque inſtruant, vt, accedente cultu reliquo, quales ſunt ſummi viri, quorum curae haec commiſſa Academia eſt, tales ipſi aliquando, ſummo ſuo cum decore, nec minore vtilitate prodeant, columina ſuae quisque patriae, pacis hinc partae moderatores prudentiſſimi; hinc parandae armis, vel tuendae, ſapientiſſimi fortiſſimique auctores. Praeter haec ſuppeditabit Academia Duces, quos ad muniendi, oppugnandi, defendendi vrbes et caſtra, ad aciei ſtruendae reliquasque belli artes, Geometria diligenter tractata formauerit; quos hiſtoria, Principum et Imperatorum ſchola, Luculli illius ſimiles praeſtiterit, de quo non vano M. Tulli, gloriae illius non nimium alias aequi, teſtimonio conſtat, illum, ſine vſus diſciplina, legendis praeſertim per tardiuſculam nauigationem rebus geſtis, in Aſiam veniſſe factum imperatorem, cum eſſet Roma profectus rei militaris rudis. Habemus ad eam rem, praeter linguarum, quae hodie florent, vibrandorumque armorum, et equeſtrium exercitationum magiſtros, habemus, in-

quam,

quam, ad militarem prudentiam, hoc est ad historiae cultum, et earum doctrinarum, quae ad illam referuntur, cum viua praesidia, quae ac quanta optari possunt, tum Bulouianos thesauros, quos Vir dum viueret Illustrissimus, IOACHIMVS HEINRICVS LIBER BARO de BVLOW, sereniſſimi potentiſſimique Magnae Britanniae regis a consiliis intimis, et magnus aduocatus ditionis Cellensis, non studio maiore quam felicitate congessit, bibliothecam librorum copia, dilectu, elegantia, praestantissimam, nobilissimis et optimis in vnoquoque genere libris ita refertam, vti ad hoc ipsum ab initio collecta videatur, vt publica esset; adeo illustrissimus illius auctor non vnum quoddam genus librorum adamauerat, sed, quidquid in quocunque eruditionis genere praestans esset atque eximium, complexus, ipsam a se pulchritudinem, ipsam, quanta quanta esset, eruditionem amari, ostendit. Historiae tamen omnis aeui, praerogatiuam quandam tribuit, quae maxime virum generosum deceret, nimirum, quae studia belli, quibus gens Bulouiana caput extulit, in primis iuuaret. Hanc porro bibliothecam, vt filiae vnicae instar amauerat colueratque, ita etiam, quam liberi alias praestant, perpetuitatem memoriae atque nominis, ab illa merito suo refert. Cum enim seruari integram vltimis tabulis voluisset, et eo in loco reponi, vbi aditus ad eam posset hominibus eruditis patere: quid facere poterant illustrissimi generosissimique heredes, quo magis voluntati ipsius satisfieret, quam cum Georgiae Augustae eam attribuerunt, et donarii instar sacrique pignoris in hoc bonae mentis delubro dedicarunt; vbi cum ex voto auctoris sui publicae vtilitati inseruiat, tum ipsius nomen, libris omnibus fixum, memoriae saeculorum commendet. Prae-

Praeter caetera enim ad seruandam tanti muneris recordationem instituta, Bulouianam etiam libenter vocabimus bibliothecam, licet magnis in singulos annos incrementis non minus in posterum sit augenda, quam sub haec initia aucta fuit. Accesserunt nempe adhuc Regia liberalitate praeclarissima opera, vt acta illa sanctorum Antuerpiensia, vt Graeuii, Burmanni, Muratorii, studio collecti scriptores rerum Italicarum, vt quam plurima alia optimae notae volumina. Destinati sunt certi reditus, quibus et ali et comi in posterum possit. Locus hic esset de simili beneficio dicendi, et maxime ad eam rem, de qua agimus, accommodato, quod huic Academiae certa et irreuocabili destinatione attributum est; sed innuit Harpocrates, et monet silentio potius et inter paucos conscios laudandum muneris auctorem, et vitam illi longam, quae augeat beneficium ipsius, apprecandam: plenis velis tum demum in laudes illius eundum, cum nostra praedicatio molesta illi esse non iam potuerit. Salue interea Ioachime Heinrice Bvlowi, heros inclute, et gratias nostras, si quis earum ad te sensus peruenire potest, mitis ac laetus accipe, dum magis dedita opera monumentum tibi qualecumque nostra ponere pietas possit. Salue, beatum inter caelites aeuum age, viue nostra memoria, viue in felicissimis nominis, bonorum, virtutum tuarum heredibus!

Sed redeundum est, vnde paullum, loci amoenitate inuitati, deuertimus. Bibliothecam ergo Bulouianam quasi armamentarium quoddam habebunt musae nostrae: hinc et praecepta et exempla petent, quos ingenita nobilitas et ardens virtus ad belli studia rapiet.

rapiet. Ipsa vero, quae placido nos hospitio excepit, noua patria nostra, non tantum aggeribus suis munita erit in posterum, quibus semel iterumque hostilem impetum excepit retuditque, quantum hoc ipso, quod pacifica musarum castra moenibus suis continet, quorum verecundia hostem non plane barbarum arcebit facile: nisi ille multum inhumanior audire velit expugnatore illo vrbium Demetrio, qui propter vnum vnius artificis opus, Ialysum Protogenis, occasionem Rhodi vrbis capiendae omisit, parcensque picturae, ne vrbem ibi incenderet, victoriam elabi sibi passus est. Si quid autem vsus tamen veniat; quod quidem nolimus, putatisne, AA. minus animi futurum tot nobilibus et generosis iuuenibus, quos vt nunc habet, ita in posterum Gottinga alliciet, quam his, qui, Hafnia armis defendenda, aeternam sibi laudem, et decus ordini suo, pepererunt. Quo enim minus ignaua illa fortitudo, et meticulosus furor priuatarum pugnarum in Georgia Augusta locum habet, habebitque, cuius exstirpatae insaniae, et dedecoris ab ordine nobilissimo amoti, gloria fato illam manere videtur, si similem in posterum quoque ciues nostri modestiam, similem senatus prudentiam ac seueritatem, in custodiendis sapientissimis regis nostri legibus, adhibuerit; tanto magis verae solidaeque fortitudini et constantiae honos suus constabit, non prouocanti pericula, sed fortiter ingruentia repellenti; non in ciues suos, sodales paullo ante et fratres, sed in hostem patriae, vim ac tela, tota animi contentione, toto corporis nixu, ingerenti. Verum illam necessitatem propitius Dei fauor a nobis auertet. Caeteris potius in rebus, quas ante enumerauimus, senatui.

tui populoque Gottingensi quanto decori, quanto emolumento sit Georgia Augusta, rerum testimoniis magis, quam hac voce declarabitur. Sentient profecto hospites nostri, vniuersa sentiet res publica, non nobis tantum, non litterarum modo studiosis, consultum iuisse GEORGIVM, sed toti, cuius veriſſimus pater est, patriae.

Agite ergo, quicunque adestis, ciues GEORGII, agite hospites exoptatiſſimi, agite A A. O O. O O. H H. coniunctis animis, consociata pietate, gratias immortali Deo agamus, qui consilium illud adspirauerit suae inter nos maiestatis vicario, vt sedem hic et officinam esse vellet optimarum artium, qui successum sapientiſſimo consilio dederit multo, quam sperabant homines, feliciorem, qui aduersos inter casus, difficultatesque plurimas, inde saepe, vnde minime sperares, obiectas, opus suum, Dei enim, Dei profecto opus est Georgia Augusta! perfecerit, qui ipsam dedicationis inaugurationisque caerimoniam velut coronam suo operi pulcherrimam imponi per summam laetitiam atque tranquillitatem passus sit. Gratias agamus Deo, suumque illi praestantiſſimum munus tuendum casta piaque mente commendemus. Commendemus Deo, quo nihil ipsi inter homines propius est, sereniſſimum regem nostrum, cuius spiritu nostra continetur incolumitas, cuius indulgentia, sapientia, fortitudine, felices sumus. Salue, auguſtiſſime rex, pater patriae indulgentiſſime, salue, auctor, pater, stator, academiae, cuius nomen dici non potest, quin tui simul muneris vsurpetur memoria: Salue, optime principum, et cum reliquis tuis immortalibus factis, tum hoc etiam, quo populum tuum, quo Germaniam,

quo, quidquid vbique est virtutis et doctrinae studiosorum, tibi deuinxisti, beneficio, fruere quam diutissime. Patere inter victrices lauros et maximarum rerum praeconia, hanc etiam tibi hederam serpere, virentem quidem perpetuo, et nominis tui honorem seris ad finem vsque saeculorum posteris tradituram. Obtundit atque debilitat vocem nostram illud, quod ipsi pars tui sumus muneris, quod eo commendando parum modeste ipsi agere videmur: sed iustius illud et verecundia nulla debilitati, qui post nos viuent, praedicabunt, quibus modestia non obstrepet, qui fructus muneris tui, quos futuros animo praecipimus, a se laudabunt perceptos. Salue, exoptatissime pater: neque enim hoc pietatis, amoris, gaudii nostri nomen respuis: Salue, parens populi tui, et suauitate, sapientia, decoribus omnibus CAROLINAE tuae, reginarum reginae, palladis saeculi nostri, castrorum nostrorum matris, longo aeuo delectare: laetissimis FRIDERICI tui, et Regiae totius familiae rebus eo vsque placidus tuis, hostibus metuendus, venerabilis orbi terrarum, interes, dum quae nata tibi nuper est Regia neptis auia Regum ipsa fiat; felicissimaque progenie tua percensenda, senilis aetatis, si qui subrepant languores, consoleris.

Parum agnoscere vobis felicitatem temporum nostrorum, et magnum magni regis nostri animum, liuoris omnis expertem, ignorare videar, si hic de illo viro taceam, quo in primis administro vsus est, instruendi muneris sui, cui qui gratias agat, ille velut venerabundo osculo ipsam augustissimi regis manum contingere videatur. Ea fecit, eos labores sustinuit,

eas

eas exhauſit moleſtias, in academia hac inſtituenda, vires, aedificiis, copiis omnibus exornanda, illuſtriſſimus heros, et titulis ſuis omnibus maior

GERLACVS ADOLPHVS DE MVNCHHAVSEN.

quae vix credat, niſi qui ex parte aliqua laboribus illius interſuerit, quae pro vnico filio vix pater amantiſſimus ſuſcipiat, vt niſi vera et minime fucata erga Deum immortalem pietas pectus ipſius animaret, niſi deditiſſima regi ſuo noſtroque fides, et obſequium veri amoris radicibus nixum, vires ſubinde ipſius animo ſufficeret, niſi conſtantia et fortitudo incredibilis aduerſus tot obiectas difficultates ipſum obfirmaſſet, niſi humanitas et manſuetudo, qualem vix ferre videatur ipſius faſtigium, quae frangi non poſſunt, cedendo mitigaret; niſi ſapientia prope ſingularis gubernaret ipſius conſilia, et mutata ſubinde nauigatione in portum venire illum doceret: profecto tantum opus, tam varium, in quo cum tot diuerſiſſimis ingeniis, cum tanta quorundam peruicacia, inconſtantia, μεμψιμοιρία, et nondum dixi quae grauiſſima ſunt, conflictandum fuit, nunquam perfeciſſet; neque eſſet Gottinga, quod eſt hodie, neque inaugurata eſſet nudius tertius Georgia Auguſta.

Quod cum non fugeret auguſtiſſimum regem noſtrum, cuius inter ſummas virtutes an felicitates hoc etiam futura ſaecula referent, quod ſuorum nouit et ingenia et promerita, eundem potiſſimum ex amicis et ſacri conſiſtorii comitibus delegit, qui ſacra vice in perficiendo hoc et coronando quaſi munere fungere-

tur, cui ſuae maieſtatis fulgorem in hoc accommodaret, vt quarum rerum poſſeſſionem et vſum, regiis litteris et ſacrae manus ſubſcriptione conſignatam, adhuc habueramus, earum nunc aeternam auctoritatem, ſollemnioribus tum inuictiſſimi imperatoris, quem Deus amet, tum regiis tabulis comprehenſam ex ipſius manu acciperemus, ipſoque praeſidente, et praeſtante regiam auctoritatem, voce manuque illuſtris viri oratoris ſplendidiſſimi inſignibus omnibus atque titulis, vel munerum vel honorum noſtrorum, ſinguli exornaremur. Quae cum ita ſint, Maecenas illuſtriſſime, (hunc enim quaſi cumulum adiicis immortalibus tuis in nos meritis, vt etiam huius orationis et ſignificandae pietatis noſtrae teſtis eſſe non dedigneris, et coram te compellandi copiam nobis facias;) ſacrum et venerabile non nobis tantum, qui primi tantam virtutem, prouidentiam, humanitatem, conſtantiam, experti ſumus, erit nomen Munchhuſium; ſed his etiam, qui omni poſt aeuo futuri ſunt, beneficii tui memoriam publicis pariter et priuatis commentariis ita trademus, vt nulla illam, dum erit Georgia Auguſta, aeternam autem vel hoc ipſum nomen faciet, delere obliuio, ne imminuere quidem poſſit, ſed velut occulto arbor aeuo, vt poëta ait, ſempiternis ſaeculorum aetatibus vigeat, creſcat, perennet. Quamquam enim excelſa mens tua alium incredibilium laborum tuorum fructum non deſiderat, praeter eum, qui in recte factorum et rei publicae bene geſtae conſcientia poſitus eſt, et vel male audire apud imperitos, vt cunctator ille Fabius non recuſas, ſi magnam rei publicae commoditatem redimere ea re liceat, Heros illuſtriſſime; tamen noſtrum erit non modo pro virili

virili quemque parte curare, ne frustra a te tantum molestiarum susceptum sit; sed rationem etiam habere, ne si taceamus parum intellexisse tantam virtutem, vel non pretio suo aestimasse, iure accusemur. Preces adiicere ambitiosas, quibus hanc tibi academiam commendemus, fere superuacuum est, cum minime metuendum sit, ne, quod tantis tibi laboribus, molestiis tantis, opus constitit, temere destituas. Itaque duo agamus potius, primum, ne vnquam vel iudicium de nobis tuum tibi pudori sit, vel benignitatis erga nos tuae poenitere te debeat; alterum, vt salutem tuam castissimis Deo precibus commendemus, certi in tua vita atque incolumitate rerum nostrarum summum decus, columen atque praesidium inesse. Viue, Maecenas illustrissime, vitam, quam longa, quam felix, quam honorata vlli mortalium concessa est. Viue, ac subinde ad hanc tuam clientelam respice.

Nondum esse coeperat haec academia, cum iam tibi multum deberet, illustris Tappi, cuius consiliis sapientibus et fideli opera plurimum in primis quasi lineis ducendis instituendisque rudimentis vteretur de Maecenatis nostri sententia rex augustissimus. Cuius igitur vocem et ministerium potius adhiberet in perficiendo et coronando quasi munere regio? Gratias tibi, vir illustris, ob prouinciam illam splendide, et vt a tanto ingenio, tanta doctrina expectari debebat administratam, decernit academia Georgia Augusta perpetuas, amicissimumque nomen tuum in tabulis suis atque fastis gratae eorum, qui post nos futuri sunt memoriae commendabit. Audemusne hoc et-

iam, ab humanitate tua petere, vt pietatis noſtrae ſignificationem perferas ad ſanctius auguſtiſſimi regis noſtri conſilium, perſuadeaſque pro tua eloquentia viris illuſtriſſimis, qui illud adhuc ornant, indelebilibus litteris inſculptam eſſe animis noſtris ſingularem, qua res noſtrae ab ipſis tractantur, curam atque erga nos indulgentiam, qua tanquam ſubiectis calcaribus inſtigamur ad officii noſtri partes tanto alacrius digniuſque perferendas, cum eam ſolam grati animi erga patronos tam alto loco conſtitutos ſignificationem relinqui nobis prope ſentiamus; neque aliam ipſi expectent gratiarum genus, quam quatenus prouincia recte adminiſtranda homines non indignos tam liberaliter ab ipſis habitos declarabitur.

Sed nec dimittenda eſt opportunitas publice ſignificandi, quam ſe obſtrictam putet academia Georgia Auguſta perilluſtribus atque ampliſſimis prouinciarum electoratus Brunſuicenſis et Luneburgenſis ordinibus: quorum vt nunquam non eſſe ſolent promta et fidelia in ſereniſſimum patriae noſtrae patrem obſequia; ita in ſumtibus etiam ad hoc pacis templum et armamentarium belli conferendis eam oſtenderunt oſtenduntque alacritatem, quae facile doceat, probari illis pro ſapientia ſua conſilium regium; videre illos, quantum interſit patriae, cuius ipſi quaſi patroni ſunt et oratores, eſſe Gottingae ſtudiorum vniuerſitatem. Atque id ipſum mittendis etiam legatis ſplendidiſſimis declararunt. Quorum de numero cum hic etiam vnum alterumque conſpicari liceat, patimini quaeſo, viri perilluſtres et generoſiſſimi, praeter eam, quam noſtra iam cauſſa operam ſuſcepiſtis, hanc etiam volenti-

bus

bus vobis imponi, vt deferatis ad collegas veſtros, viros omni laude florentiſſimos, grati animi noſtri declarationem, iisque recipiatis, enixam hic operam datum iri, ne fruſtra impenſas factas, ne fruſtra oneratum aerarium in dote Georgiae Auguſtae conſtituenda aliquando videatur. Deus vos ſeruet, viri perilluſtres, generoſiſſimi atque ampliſſimi, ac felicitate patriae, quam ornatis, et familiae vnumquemque ſuae quam diutiſſime perfectiſſimeque laetari iubeat.

In tanta multitudine hoſpitum noſtrorum regio muneri et felicitati noſtrae fauentium, vos vltra hanc claſſem eminere, et compellandi extra ordinem videmini, inclutae academiae Iuliae ablegati magnifici ornatiſſimique. In hanc, quaeſo, ſententiam exoptatiſſimae ſorori noſtrae renuntiate legationem, vti magno nobis honori, magnae iucunditati fuiſſe praeſentiam veſtram, et mandata, indicetis, vt noſtro nomine certam eſſe iubeatis, ſi quid ſit, in quo viciſſim vel honorem illius vel commoda augere queamus, pro ea nos neceſſitudine facturos, quam diuinitus conſtitutam religioſe officiis omnibus nos culturos recipimus atque pollicemur.

Dum redire quaſi domum paramus, et quibus in hac ipſa vrbe agendae ſint gratiae, diſpicimus, primum nobis, et ad ipſas iam portas occurrit praeſidium regium fortiſſimumque, cuius praeclara opera non tantum ſplendorem, ordinem, tranquillitatem, ſecuritatem, ipſis his ſacris praeſtitit, verum etiam ab initiis inde conditae academiae ita ſe, ita nos tractauit, vt quae commoda ſunt militaris praeſidii ſenſerimus vberrime, moleſtiarum aut turbarum nihil inde perce-

perimus: Gratiae tibi eo nomine debentur maximae, generosissime, fortissimeque dux a DRVCHTLEBEN, cum partam illustribus meritis, atque sapiente disciplina inter tuos auctoritatem ad academiae promouenda commoda egregie adeo accommodasti, pacemque nobis ab omni tumultus suspicione liberam, modestumque adeo militem praebuisti, vt non arma modo tua nemo, nisi malus, timuerit; sed armorum tuorum fiducia, nihil alterius repentini mali quisquam timuerit. Diu fruere inter nos ista meritissima tua laude, et felicem, ac si quis hostis cogat, victricem legionem diu laetus vegetusque, musis nostris honori tuo subinde augescenti plaudentibus administra.

Hospitumne numero an ciuium vos habeam, qui in hac dulci iam patria nostra vel sacro, vel iudiciali, vel senatorio munere fungimini? Honore hospites, ciues amore, viri amplissimi et maxime reuerendi, ea nos beneuolentia atque humanitate suscepistis, quae publicam hic commemorationem et gratiarum actionem mereatur. Cecidit vt multa alia, ita hoc etiam iucunde et commode, quod vestra in nos merita nascenti statim academiae quasi coronare contigit, quod vobis, qui capita estis, hinc sacri, hinc senatorii ordinis, imponere theologicae alteri, alteri eruditionis iuridicae lauream dignissimis merito potuit. Habete vobis has quasi primitias quasdam, a primis academiae nostrae ordinibus ornamentum, heri in illustri adeo concilio vobis tributum, quam vobis lauream aliorum quoque commodorum fertilissimam esse volumus ex animi sententia et iubemus. Habe tu tibi praesertim, NEVBVRI amplissime, hoc publicum testimonium,

nium, habe tibi, dum de actione hac nostra constabit, perpetuas gratias, quod non hospitali modo benignitate, non priuatis modo officiis, optime de nobis omnibus meritus es, quae quidem sunt ipsa quoque dulcissima gratissimaque: verum etiam aediliciam, quam late ea patet, curationem consilio atque opera ita obiisti, vt qui te sub regiis auspiciis, ductuque magni nostri Maecenatis conditorem alterum Gottingae et quasi architectum vocet, nihil dicat, quod non rebus ipsis et tuis in nos meritis ex asse conueniat. Non possumus commemorare omnia omnium in nos merita: itaque reliqua complectamur, vobisque viri tum sacri tum senatorii ordinis honoratissimi, officiorum humanitatis ciuitatisque omnium nexibus nos deuinctos profitemur: in quibus hoc vnum nunc persoluimus, vt et vrbis et ecclesiae et academiae et familiarum vestrarum rebus secundis vos quam diutissime laetari ingenua pietate comprecemur.

Adhuc non peregrinata quidem, sed extra tamen academiam versata est nostra oratio. Iam domum quasi redimus, iam illos alloqui tandem licet, quorum caussa vti totum hoc magnificum magni regis opus atque munus, ita haec praesertim horum dierum caerimonia instituta est vnice. Ciues me putare nostros, intelligitis, quicunque auditis, spem nunc et florem, mox columina patriae, curam ac voluptatem nostram vnicam, maximam. In quibus vobis, illustrissimi comites, cum multum splendoris sui atque dignitatis debeat haec academia, quam a suis inde incunabulis praesentia et fauor ordinis vestri condecorauerit, tum illud

grata ſuis annalibus inſeret, quod amorem erga bonas litteras veſtrum; cuius tot alia pignora habemus minime infitianda, obeundo etiam honorificentiſſimo nobis miniſterio comprobare voluiſtis. Neque vero, ſperamus, indecorum vobis, veſtriſque familiis illuſtriſſimis erit, primitias illas veſtrorum in muſas meritorum ad poſteritatis memoriam prodi, ab eaque pro omine deinde futurae vel magnitudinis, vel amoris ac beneficiorum in ſtudia doctrinae haberi. Gratias interim gratiſſimas eo vobis nomine me interprete decernit academia Georgia Auguſta, celſiſſimamque vobis illuſtriſſimisque familiis veſtris felicitatem ex animi ſententia apprecatur, ac videre aliquando illum diem optat, vbi filiis veſtris ac nepotibus nomina in Albo academiae veſtra, veſtigia quaſi veſtra in hac inaugurationis caerimonia, ſedes in auditoriis noſtris oſtendi, eaque ipſa re accendi ardor optimarum rerum, quarum illis auctores eritis, poſſit.

Vos, generoſi bonam partem ſanguinis, nobiliſſimi omnes animi, iuuenes, commilitones in his muſarum caſtris noſtri longe exoptatiſſimi, non antiquam modo obtinuiſtis illam toties laudatam ex merito nobis modeſtiam; verum vos quodam modo ipſos, noſtramque ſpem et expectationem ſuperaſtis, effeciſtisque adeo, vt praeclariſſimam de vobis opinionem domum relaturi ſint tot teſtes omni exceptione maiores, tot fortunarum veſtrarum arbitri, tot verae laudis veſtrae praecones. Magna res geſta eſt, commilitones optimi, magna iacta ſunt futurae etiam frequentiae in hoc quaſi alueario muſarum fundamenta. Conſtabit

ſtabit in poſterum, ſumma cum ſpe feliciſſimi euentus huc mitti poſſe adoleſcentes, qui hinc redeant non doctiores modo vndique, ſed honeſtiores etiam, et ad omnem humanitatem ciuitatemque venuſtiores. Macti ea laude eſtote merita, et ea etiam ſuffragante vota parentum veſtrorum, ſpes veſtras, maxima omnia, Deo fortunante, nobis cum plauſu fauentibus conſequimini.

Domine, ſaluum fac Regem noſtrum!

Domine, feliciſſimam eſſe iube familiam Regiam!

Domine, ſerua rem publicam, et in ea hanc dedicatam tibi et publicae ſaluti Academiam Georgiam Auguſtam!

* *

XXXVII.

DE ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA,

QVAE

GOTTINGAE EST CONDITA ATQVE DEDICATA NARRATIO.

Quam cupide nuper loci omnis atque aetatis homines ad ſpectandam academiae Georgiae Auguſtae inaugurationem vndique concurrerint, quanto eam fauore celebrauerint ac ſilentio, quam laeti hinc diſceſſerint, cum cognitum habeamus atque perſpectum: in ſpem venimus, non ingratum fore iis, qui intereſſe illi caerimoniae non potuerunt, quid actum ſit, publica fide cognoſcere; recognoſcere autem et quaſi retractare his, qui ſpectaculum ipſum oculis vſurparunt ſuis, ſed recordationem eius ſic tanto felicius conſeruabunt, et innoxia quadam voluptate fruentur, exigendis, quae memoria ſubiiciet, ad ea, quae relata hic legent; et iis plenius cognoſcendis, quae tum vel ſatis percipere auribus, vel animo comprehendere non potuerunt. Habebunt vero etiam alii, quibus in ſimili forte negotio verſandum aliquando erit, exemplum, ad quod reſpicere, ad quod componere ſe tanto minus dubitabunt, quo maiori prouidentia ſapientiaque inſtitui, quae GEORGII II. auſpiciis geruntur, ſatis inter omnes conſtat, vt rerum gerendarum, exempla inde petere, ipſum quoque in non mediocris pruden-

prudentiae parte merito reponatur. Propter eos, qui quacunque de cauſſa de rebus noſtris nondum ſatis edocti ſunt, de ipſa vrbe, in qua domicilium nouum doctrinae ſtudiis conſtitutum eſt, et de initiis progreſſionibusque litterariae vniuerſitatis, pauca de pluribus praemittemus.

Gottinga inferioris Saxoniae vrbs eſt, in ipſo illius angulo, quem occidentalis Haſſiae tractus, meridionalisque Thuringiae plaga intercipiunt, ſita, ad Lainam, (vel, vt elegantioribus placebat, Lanum; *Leinam* hodie vocant accolae) cuius dextro brachio interluitur, qui deinde Northemio ſuperato, inter Eimbeccam ſiniſtram, dextramque mox Hildeſiam lapſus, Hannoueram diuidit: nobilis vrbs olim et Hanſeatico foedere, et rebus pace belloque geſtis, magnitudinis ſuae et fortunarum veſtigia luculenta non ſeruat modo, ſed bonis auſpiciis et gradu non lento ad eas redit. Haec cum eo iam tempore, quo de academia condenda agitaret Diuus Iulius, *eam ſibi ſortem adoptarit*, vt loquitur Werdenhagius *, iam demum altero labente ſaeculo antiqui voti compos eſt. Cum enim anno ſaeculi huius CIↃIↃCCXXVIIII. a. d. XXVIIII. Iulii optimi patris familias conſuetudinem in hoc quoque ſeruans GEORGIVS II, princeps diuinitus felicitati populorum ſuorum donatus, Germanicas ditionis ſuae regiones atque vrbes obiret, videretque praeſens, bene proceſſiſſe adhuc, quae ſubleuandae et ad priſtinam felici-

* De rebus publicis Hanſeaticis P. III. cap. VII. p. 181. *Quum* Diuus Iulius *priuilegia academica ab imperatore Maximiliano II. impetraſſet -- licet maxime Gottinga eam ſibi ſortem adoptaret; tamen -- Helmaeſtadium hac beare voluit.*

felicitatem reducendae huic vrbi et ipſe, et immortali gloria pater ſuus, inſtituiſſent: Conſilium Deo adſpirante cepit condendae in ea academiae, quod ſolum decus florentiſſimae per ipſum patriae ad illum diem videbatur deeſſe. Ratio habita eſt nimirum a rege ſapientiſſimo, cuius hic ipſe apud poſteros titulus erit, *Nihil temere, nihil ſine ſummo conſilio feciſſe*, earum rerum omnium, quibus opus eſt, vti tanquam alueare quoddam manſuetiorum muſarum, celebretur et vigeat Academia. Caelum ſalubre, fontium dulcis perennitas, ad cereales etiam potus, amiciſſimos naturae noſtrae, aptiſſima, ſolum fertile non frugum modo, ſed fructuum etiam leguminumque omnis generis, ſubuectus tum annonae lignorumque faciles, tum maritimarum copiarum, quas Viſurgis tergo iam non amplius rebellis fluuii, ſed compedibus quaſi quibusdam ad Hamelam a rege noſtro iniectis domiti, in proximam vſque viciniam, ſumtu minimo perferri conſtat: vrbis ipſius ſpatioſa capacitas, deſcriptio, aedificia publica antiqua, ſi nihil aliud, locum certe et materiem praebentia nouis, domus plurimae vel iam aptae recipiendis hoſpitibus, vel facile ei negotio accommodandae, ſpatia vacua exſtruendis nouis; munitiones vrbis, quae repentinum tumultum facile ſuſtineant, non inuitent hoſtem, praeſidium militare, quod quietem muſis facile praeſtet, non opprimat eas, et quaſi elidat. Haec cum adeſſent Gottingae omnia, et nihil occurreret, quo offendi poſſe vel eruditos homines vel eruditionis cupidos, videretur, quod non idem appareret adhibito ſtudio atque diligentia mutari poſſe in melius: ſtetit in ſententia rex auguſtiſſimus, et, quod omnibus in rebus ſolet facere, in bene ſuſcepta ratione

tione non perſeuerauit modo, ſed eo illam ſtudio atquo ardore perſecutus eſt, vt ſatis mirari non poſſint homines, quantum intra annos tam paucos profectum ſit. Nimirum illa eſt ſapientia rex noſter, vti eos deligat conſiliorum ſuorum arbitros atque adminiſtros, quorum ſancta fides, probata prudentia, ſtudium infatigabile, felices illis ſucceſſus promittat. Quare ſummam harum rerum auſpiciis regiis adminiſtrante illuſtriſſimo Heroë GERLACO ADOLPHO de MVNCHHAVSEN, Dynaſta in Strausfurth, a conſiliis Germanicarum prouinciarum regendarum intimis, et magno per Cellenſem ducatum aduocato, ad easque adhibente fidem tot documentis olim cognitam, induſtriam quae fatigari non poteſt, prudentiam illam ſobriam, vigilacem, placidam, aditus omnes tentantem; et ſuper reliquas virtutes ſuas amorem litterarum, quibus tantum ſe in gerendis rebus adiuuari, delectarique ſentiat, ardentiſſimum: ſpe hominum atque opinione celerius feliciusque peracta ſunt omnia. Actum nempe * eum illuſtribus prouinciarum regis Germanicarum ordinibus, quo nomine appellamus Senatum quemdam, de aerarii praeſertim rationibus, tributisque et cenſu, totius populi nomine cum Principe deliberantem. Hi igitur ordines conferendis alacriter celeriterque ſumtibus ſuam in ſereniſſimum Regem pietatem, ſuum in bonas litteras ſtudium, cumulate declararunt. Tum impetrata ab inuictiſſimo auguſtiſſimoque imperatore, cui tribuat Deus vitam, victoriam, felicitatem! priuilegia amplisſima, operam dante illuſtrisſimo atque excellen-

* Litterae regiae datae e regia ad Diui Iacobi XXVI. Ian. Anni CIↃIↃCCXXXIII. VI Febr.

cellentiſſimo dum viueret viro Io. Gvilielmo Dieterico Diede *zum* Fvrstenstein, qui legatione regia in imperatoris aula cum maxime fungeretur. Haec priuilegia, (ſic enim hodie vocantur iura et immunitates litteris publicis conſignatae) cum tabulis ipſis regiis, quibus tota conditae academiae ratio continetur, ſubiecta huic narrationi * leget qui volet. Nuntiatum erudito orbi conſilium de condenda litteraria vniuerſitate regium, ſtilo viri illuſtris conſiliarii aulici, hiſtoriographique et bibliothecarii regii Io. Danielis Gruberi, ad omnium mox notitiam peruenit.

Gottingam miſſus Io. Petrvs Tappivs, conſiſtorii eccleſiaſtici tum pars magna, iam director, illuſtre et amicum nobis nomen, qui loca atque aedificia publica inſpiceret, et ecquod eorum commodiſſimum eſſet academiae, videret, primamque operis quaſi deformationem faceret. Nihil commodius viſum, quam illud ipſum, quod dominicani ordinis coenobium olim fuerat, ab Anno cIↃIↃLXXXVI. autem locum praebuerat gymnaſio non ignobili, nouae academiae quaſi peculiare domicilium ac praetorium aptare.

Quae cum ſententia probata regio conſilio eſſet, ipſo vere anni XXXIIII. initium qua diruendi, qua aedificandi factum eſt. Eodem tempore, et quidem die XX. Aprilis ſollemniter finis impoſitus fuit gymnaſio, ac Christo. Avgvstvs Hevmannvs eius per XVII. annos inſpector nouae academiae adſcriptus, et ordi-

* In libro peculiari de Acad. Georg. Auguſta, quae Gottingae eſt condita. Gotting. 1737. fol. ed.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697605/phys_0068
DFG

ordinario munere hiſtoriam litterariam, qua clarum olim ſibi nomen peperit, theologiam autem extra ordinem, docere in ea iuſſus eſt.

Nempe curam eligendi homines eruditos, atque ad inſtituendum colendumque nouum quaſi omnis eruditionis fundum, hoc eſt eam, quae in toto hoc negotio maximi momenti fuit, prouinciam, per ſe fere ſuſtinuit illuſtriſſimus MVNCHHVSIVS, et Gottingam, quam praeſens iterum * inuiſerat, honeſtiſſimis lautiſque conditionibus allexit, conduxitque viros, qui in celeberrimis germaniae academiis et comparauerant ſibi doctrinae omnis praeſidia, et maiorem etiam partem cum celebratione aliqua iuuentutis et fama docuerant. Euocati itaque, vt ordinem ſequamur, quo munera quiſque ſua hic adiere, Viteberga quidem SAMVEL CHRISTI. HOLLMANNVS philoſophiam primam, quae naturalem etiam Theologiam complectitur, atque rationalem docere iuſſus, quas res Vitebergae cum reliquis philoſophiae partibus, extra ordinem profeſſus fuerat; Durlaco, et e conſilio ſerenisſimi Principis intimo Io. IAC. SCHMAVSSIVS, qui naturalem iuriſprudentiam illuſtraret; eLipſienſi, quod regebat, Thomano ad eloquentiam et poëſin tradendam Io. MATTHIAS GESNERVS; GE. CHRISTIANVS GEBAVERVS ex eadem academia, in qua aſſeſſor ſupremae prouincialis curiae, iuris feudalis profeſſor P. O. et collegiatus B. virginis fuerat, qui primus apud nos anteceſſor eſſet; ex Iulia, quae Helmſtadii eſt, GOTTLIEB SAMVEL TREVERVS, iuriſpublici pariter et moralis philoſophiae profeſſor futurus, quem vtrumque, inſuperque hiſtoriae docendae locum

* Aduenit a. d. VIII. Sept. diſceſſit a. d. XI. eiuſdem.

Helmstadii cum Consiliarii aulici dignitate ornauerat. Hic non minus quam GEBAVERVS et SCHMAVSSIVS consiliarii aulici honore apud nos quoque auctus est. Caeterum, quos nominauimus viri, cum laudato modo HEVMANNO ineunte auctumno anni XXXIIII. docendi fecerunt initium. Aderant iam eo tempore iuuenes supra centum, qui vel e gymnasio Gottingensi dimissi, vel fama nouae academiae huc delati fuerant. Tanto magis curandum fuit, vt ciuitatis quandam formam ea multitudo acciperet.

Rectoris itaque munia nomine commissarii regii demandata sunt laudato GEBAVERO, qui iam superiori aestate, cum hic Gottingae fuerat, tum Hannouerae, consiliis de rebus hisce adhibitus: porro assessores esse illius iussi professores reliqui, a quibus ipse (TREVERO excepto, qui Hannouerae iam fidem suam consilio regio adstrinxerat) sacramentum fidei sereniſſimo regi praestandae et muneris recte administrandi, mandato regio exegerat: quae autem ad iurisdictionis, quae iam tum plena nobis attributa est, explicandae rationem pertinerent, ea Commissario praesidente, his, qui iuris consulti essent, Deputationis nomine, id est consilii arctioris, credita atque commissa sunt; ac lex praescripta, ad quam singula interim exigerentur.

Proposuit itaque nouus nouae academiae commissarius primum programma, quo ad numeros et togatam aduersus barbariem militiam vocabat studiosos, pridie Kalendas Nouembris, id est illo ipso die, quo Lutherus quondam primum superstitiosae barbariei bellum indixerat. Quod programma inter adiecta huic narrationi monumenta locum habere merito debuit.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697605/phys_0070
DFG

debuit. Primus nomen dedit, meruitque adeo, vt hic etiam legatur, generosus iuuenis HANS HEINRICH VON DER DECKEN, eques Bremensis, quem secuti certatim alii, cum praesertim eodem programmate de inscriptis siue incensis lex promulgata, et mox peculiari edicto proposita esset. Inscripta GEBAVERO commissario nomina CXLVII. Inprimis illud honorificum huic Academiae, quod a primis inde initiis illustrissimi S. R. I. comites plures numero illam frequentarunt, quorum exoptatissimis carissimisque nobis nominibus hanc etiam narrationem illustrare licebit. Vixerunt igitur apud nos et in amoribus nostris fuerunt illustrissimi Comites

CAROLVS ADAM S. R. I. Comes de LOEWENHAVPT Rasberg et Falkenstein,

ERDMANNVS CAROLVS et

SAMVEL GVSTAVVS S. R. I. Comites de REDER LL. BB. de Krappiz,

HENRICVS IX. atque

HENRICVS X. RVTHENI S. R. I. Comites atque Domini Plauiae, Dynastae de Graiz, Crannichfeld, Gera, Schlaiz et Lobenstein,

CHRISTIANVS GVNTHERVS, et

CAROLVS GEORGIVS LVDOVICVS, Comites Stolbergae in Königstein, Rochefort, Wernigeroda et Hohenstein, Dynastae de Epstein, Munzenberg, Breuberg, Aigmont, Lohra et Klettenberg.

septem alia illustrissima nomina deinde referentur in pompa dedicationis: accessit postea.

Illustrissimus Comes Otto Mandervp Comes a Ranzav.

Saluti fuerunt, eruntque speramus in posterum academiae leges, de quibus iam tum et inter prima quasi cunabula diligenter collatis sententiis, et florentissimarum, academiarum institutis, deliberatum est: quaeque deinde vel peculiaribus edictis promulgatae, vel statutis, quae vocant, generalibus comprehensae sunt. Etiam illa inter primas magnifici commissarii et senatus academici curas iam tum fuit, neque esse postea desiit, vti causas eorum cognoscerent atque consilio regio commendarent, qui frui munere regio, et artis, opificii, mercaturae cuiuscumque exercendae causa huc conferre domicilium et academicae ciuitati adscribi, eoque nomine et immunitate quorundam munerum, et commodis aliis, frui cuperent. Qua ex re illa magna commoditas consecuta est, vt peculiari sibi vinculo obligatos haberet artifices omnis generis academia, a quibus iusta consequi breuissima via posset. Neque ciuibus reliquis non prodesse illud institutum putandum est, cum honestae inter nouos veteresque incolas aemulationi occasio sic aperta sit, quam publice et priuatim vtilissimam cum alii saepe experti sint, tum nos quotidie experimur. Sed redeundum est, vnde aliquantum defleximus, ad pertexendam professorum studio illustrissimi Mvnchhvsii huc excitorum seriem. Ineunte iam hieme Erfurto, vbi extraordinarius medicinae professor fuerat, aduenit Io. Wilhelmvs Albrechtvs, et alacriter demandatum sibi medicinae tertio inter ordinarios loco docendae, munus adgressus est, vt etiam priuatim mathe-

mathemata et naturalem doctrinam impertiret volentibus.

Aduentante vere Anni XXXV. Iena vbi cum ordinaria iuris professione aulici etiam sereniſſimorum Saxoniae ducum conſiliarii locum tenuerat, huc migrauit, Io. SALOMO BRVNQVELLVS, et cum conſiliarii aulici regii dignitate ordinarium etiam iuridicae facultatis, quatenus de iure reſpondet, praeſidium ſuſcepit, cum ſecundum alioquin, et proximum a GEBAVERO ordinis ſui locum occuparet. Acceſſit ſub paſchatos ſacrum commiſſariatus, quem vocabamus, academiae, a GEBAVERO, qui praeclare illo, et magna cum vtilitate publica functus fuerat, ad illum translatus. Hiſce muneribus atque honoribus vix fungi, magno noſtro emolumento, nec minore ſua laude coeperat; cum morte ſua vehementem ſane rebus noſtris plagam intulit.

Qua in re non multum iniquorum nos ſermones mouebant, qui Gottingam viro mortis cauſſam fuiſſe dicerent; nam id quidem falſum eſſe, et mortem iam intra viſcera BRVNQVELLI latentem, hac ipſa migratione dilatam potius quam acceleratam eſſe, ſatis conſtabat: neque illud ſapientem quemquam terruit, quod inauſpicatum id eſſe, et mali ominis, quidam dicerent, funus capitis duci, cum nondum plane conſtitutum corpus eſſet. Noueramus quippe, Halae quondam altero ſtatim menſe exſtinctum, qui Director naſcenti academiae datus erat, ſummum virum, VITVM LVDOVICVM SECKENDORFIVM. Sed illud ſcilicet ſollicitos nos habuit, quod difficile videretur, parem Brunquello et dignum tanta doctrina atque virtute, ſucceſſorem reperire. Et tamen, quod mox vi-

debimus, repertus est. Academiae interea habenas susceptit Regio iussu TREVERVS, qui cum reliqua pro veteri sua et laudata prudentia administraret, tum vt iusta funebria soluerentur pro dignitate BRVNQVELLI, et magistratus, quem gesserat, consilii Regii auspiciis curauit.

Aucta est hoc ipso tempore academia duobus ex Holsatia Theologis. Kilonio enim huc vocatus venit IOACHIMVS OPORINVS, qui Theologiam ibi extra ordinem docuerat, locumque tenuerat in consistorio ecclesiastico, hunc paullo post secutus est MAGNVS CRVSIVS, qui primo apud legationem in Gallia Danicam, tum apud Rendsburgenses sacra fecerat. Paucis interiectis hebdomadibus Altorfio, IO. DAVID KOELERVS, et deinde Erfurto TOBIAS IACOB REINHARTHVS aduenerunt, quorum hic Erfurtensis academiae cum maxime rector magnificus, decretalium in ea professor publicus ordinarius, ICtorum facultatis assessor ordinarius, illustrissimi comitis Glichensis Hazfeldii consiliarius, cancellariae et consistorii Blanckenhainensis director, senatus Erfurtensis consul, syndicus item et ecclesiastici ministerii consiliarius fuerat; iam vero relictum a BRVNQVELLO locum impleuit, ille historiam, quam ibi vna cum ciuili philosophia docuerat, nostris coepit impertiri. Foecunda haec aestas, felix Maecenatis nostri prouidentia, HENRI. CHRISTIANVM SENCKENBERGIVM etiam nobis attulit, qui Dhunae in tractu Nauensi illustrissimae Rhingrauiae Tutricis ac regentis cancellariam, consiliariorum primus, regebat, ad nos vocatus, ac primo academiae syndicus, extraordinarius professor iuris, et ordinis

iuris-

iurisconsultorum, quatenus de iure respondet, assessor ordinarius esse iussus, mox consiliarii regii dignitate et ordinaria professione auctus est; tum GOTTFRIDVM MASCOVIVM Harderouicensis academiae antecessorem, cui cum dignitate aulici consiliarii tertius in iurisconsultorum nostrorum ordine locus attributus est; itemque Io. ANDREAM SEGNERVM naturalis philosophiae atque mathematum professorem ordinarium, quas res Ienae adhuc vt extraordinarius philosophiae professor docuerat; et excitum Batauorum Lugduno GOTTFRIDVM SELLIVM, extraordinarii professoris et assessoris iuridicae facultatis honore et ipsum insignitum, qui proximo deinde anno in Halensem academiam, consiliarius aulicus et iuris atque philosophiae professor ordinarius, discessit. Sic viris aucta per hanc aestatem academia, bonis etiam legibus atque institutis praeclarissimis constabilita est. Conditum confirmatumque a rege potentissimo, et publice cum graui admonitione, senatus nomine scripta, propositum edictum contra priuatas pugnas, quas *Duella* vocant: in qua lege duo praesertim sunt memorabilia, alterum, quod mediam fere viam ingreditur legislator sapientissimus inter eam, quae maxima est, hinc lenitatem similium legum, hinc seueritatem: alterum (quod ob ipsam poenarum non summam asperitatem facilius fuit) illud est, quod prouisum, et diligenter adhuc seruatum est, ne vanae videantur minae, aut aranearum telae lex similis, in qua muscae adhaerescant, perrumpant vespae et crabrones. His enim rebus, fauente Deo, factum est, vt, adhibita tempestiue in vnum alterumque seueritate, persuasum sit reliquis, serio velle sereniſſimum regem, seruari legem suam,

neque adeo impune, illam violari. Neque minus vtile illud fuit, quod publica lege cautum est, ne improuida iuuenum aetas per aeris alieni facilitatem in luxuriem, et quae oriuntur inde mala incidere, vel creditores per ipsam lucri cupiditatem damno augeri nimio possent. Modus ergo constitutus, quantum et ad quas res credere, aut mutuo dare ciui academiae liceat. Quin in vniuersum primo alteroque academiae anno illud actum est sedulo, vt et consuetudines introducerentur, et leges, regiis quidem auspiciis, et de consilii ipsius sententia, conderentur eiusmodi, quibus seruandis ac diligenter persequendis florere ciuitas haec posset. Qua in re tanto liberiora omnia fuerunt ac faciliora, quod semel iterumque litteris ad nos scriptis testatus est rex sapientissimus, sibi in condenda litterarum vniuersitate non hoc propositum esse, vti magna iuuenum cuiuscumque generis multitudo Gottingae colligatur: verum illud vnice, vt ciues primum sui, deinde, si qui alii vti eo beneficio velint, ad modestiam, sobrietatem, prudentiam, pietatem praesertim, formati, his ipsis deinde virtutibus tanquam praesidiis atque instrumentis vterentur, cum ad eruditionis solidae partes, quibus quisque opus haberet, apprehendendas felicius; tum ad publicam salutem virtute sua atque doctrina successu tanto laetiore propagandam. Factum est hic quoque, et fiet, vt merito ominamur, in posterum illud, quod diuinitus ita constitutum esse olim obseruarunt viri sapientes, vt qui, quae recta sunt atque honesta, spectant, eadem etiam consequantur vtilia. Cognita humanitas ciuium nostrorum, et generosa, legesque ipsas non tam sequens quam praecurrens liberalitas ac modestia, alios alliciet per-

perſuadebitque parentibus, nusquam pignora ſua melius et maiore cum ſpe boni euentus deponi, et ad opem publicae rei ferendam inſtitui pararique, quam in prouidentis adeo parentis publici ſinu poſſe: qua ipſa ex re, licet hoc non quaeratur, aucta ciuium multitudine, maior rerum omnium, quibus commodior vita redditur, adfluentia apud nos conſequatur neceſſe eſt, vt adhuc conſecutam eſſe, laeti agnoſcimus. Et quis vereatur in eam vrbem mittere liberos ſuos, in qua tot praeclaris inſtitutis vitam et honeſtatem ſuorum ſeptam quaſi et munitam nouerit; in qua praeter praeſidium militare, cuius dux ſummus pariter atque ductores caeteri humanitatis quoddam certamen cum muſarum cultoribus iuſſu regio inſtituunt, excubiae etiam nocturnorum vigilum ſint conſtitutae, quorum eſt ad improuiſum tumultum vocatos non vocatos accurrere, vim et inſolentiam ebriorum, aut ſi quis alius ſit male ſani cerebri, coërcere; in qua, ad nocturnam ſecuritatem obtinendam facilius, lucernae plateis omnibus ſatis crebrae luceant; in qua ab hoc ipſo inde tempore, ſingulis diebus dominicis cohortentur ciues noſtros, et ſi qui audire alii volunt, ad pietatem, concione publica, ſua quiſque vice Theologi; in qua denique morum et honeſtatis rationem haberi accuratiſſimam, exemplis luculentis eorum, qui, vel aliunde naufragio quaſi quodam eiecti, nidum ſibi nequitiae ſtruere hic voluere, vel alioquin turbare aliquid auſi ſunt ſancitum eſt; omnium autem maxime conſtat ex his, quae per ipſa dedicationis ſollemnia oculis ſuis auribusque tot hoſpites crediderunt. Ad ea ſtatim accedemus, cum breuiter coeptae narrationis telam perteXuerimus. Sic nimirum primus publicatae et apertae

quasi litterarum vniuersitatis annus cum auctumno anni XXXV. exiit feliciter. Sed neque hiems instans eam refrigerauit, qua magistratum academicum virtutibus suis, quas superioribus in magistratibus Erfurti cum saepe, tum proximo ante discessum tempore, declarauerat, gessit REINHARTHVS. Cum enim iure optimo esse eam iussisset cum augustissimo caesare rex noster potentissimus, vsa illo est, creauit doctores, medicinae primum, ALBRECHTO brabeuta a. d. III. Decembris, CHRISTOPHORVM HENRICVM PAPENIVM Gottingensem, ac deinde, prout opportunitas tulit, reliquos omnium facultatum, quorum nomina et honores in hoc ipso volumine commemorabuntur. Hoc ipso tempore ALBRECHTVS idem primam humani corporis dissectionem publicam instituit, et alacriter, etiam cum valetudinis suae, quam adflictissimam huc attulerat, dispendio persecutus est. Certe vltimum hoc illi operum mortalium fuit; cum paullo post soporoso morbo, carum vocant medici, exstinctus, nouum nouae academiae luctum obiecerit. Qua in re simile iterum fatum habuit Halensi, quae et ipsa Spenerum suum ante quam inauguraretur amisit, naturae, quam ALBRECHTVS etiam interpretatus fuerat, et ipsum quendam mystagogum.

Sed aliis rebus laeta fuerunt anni XXXVI. initia. Ipsis Kalendis mane aduenit Tubinga e sinu patriae, vbi philosophiae professor fuerat, ad nos arcessitus IO. FRIED. COTTA, qui orientis litteras ordinario munere, extra ordinem autem theologiam quoque doceret. Laetus in primis fuit octauus Ianuarii dies, quo placuit indulgentissimo patri nostro, sacratissimi nominis

nominis sui honorem impertiri huic academiae, eaque ipsa re illam tanquam filiam sibi adoptare. Diu praesens inter populos suos fruatur gloria sua, et ciuium amore, regum optimus, et patrem se vocari nostrum mitis placidusque, ac laetus rebus nostris, patiatur. Sub veris initia ex aula reuerendissimi sereniſſimique Lubecensium episcopi, ac ducis Slesuicensis Holsatiae, cuius cum consiliarii aulae et iustitiae dignitate primus medicus fuerat, ad nos appulit GEORGIVS GOTTLOB RICHTERVS, cui primus gratiosi ordinis locus, cum aulici consiliarii honore & medici regii, iam superioris anni mense Septembri collatus fuerat. Hoc igitur ad antiqua studia sua redeunte, quae Kilonii quondam extra ordinem tractauerat, adscitoque aliquanto ante RICHTERI aduentum in medicorum ordinariorum numerum SEGNERO, res lapsae illius ordinis restitutae sunt. Circa haec tempora cum magistratum cepisset, et cum dignitate gereret MASCOVIVS, publicum academiae aedificium, elegans oppido et splendidum, eo vsque certe perfectum est, vt capere posset thesaurum incomparabilem, Bulowianam bibliothecam, de qua paucis hic facienda mentio est, plenius omnia persequi alias forte dabitur. IOACHIMVS HEINRICVS liber Baro de BVLOW, consiliarius GEORGII I. intimus, et magnus in Cellensi ducatu aduocatus, collegerat sibi summo studio, impensis maximis, nec felicitate minore, bibliothecam, in qua ex omni genere librorum optimos quosque et pretiosissimos extare volebat, quos etiam glutinatoris opera auro impresso exornari curauerat splendide. Hanc post mortem quoque suam, (incidit ea in annum saeculi XXIIII.) integram seruari, et publicam esse iusserat, eoque in loco reponi, vbi vtilis

tilis esse posset quam plurimis. Paruerunt heredes, et Hanouerae eam seruari curarique voluerunt. Cum vero de academia Gottingae condenda agitaretur, illa maxima neque praetermittenda visa fuit opportunitas, cumulate perficiendi, quod vir illustrissimus destinauerat. Facile igitur consenserunt heredes illustrissimi atque generosissimi, FRIDERICVS L. B. a BVLOW potentissimi Borussorum regis a consiliis status et belli intimis, curiae Lithuanicae prouincialis praeses, ecclesiasticarumque rerum director, Iohannitici Ordinis eques, tum ERNESTVS AVGVSTVS et GEORGIVS WILHELMVS liberi barones a BVLOW, idque litteris consignatum publicis testati sunt, vt Bulowiani thesauri huc transferrentur, essentque fundus quasi quidam bibliothecae academicae, cui deinde, (vt ICtorum verbo vtamur) adcresceret, quidquid vel regia liberalitas conferret, (et multum profecto tum in libris tum in pecunia contulit, conferrique quotannis iussit) vel de symbolis eorum, qui nomina dant academiae, aut honoris ab ea gradum accipiunt, emeretur. Et nondum de illata eodem bibliotheca, quae gymnasii fuerat, diximus. Itaque contigit huic vniuersitati, vt sub ipsa initia, bibliothecam habeat instructissimam, si qua alia, sed ornatiorem forte, quam reliquae per Germaniam omnes. Magna vis instrumentorum et machinularum, tum naturae operibus indagandis; tum efficiendis ac dimetiendis humanis, accommodatorum, elaboratorum quidem ab artificibus fere praestantissimis, eleganterque auro atque argento ornatorum, quam eiusdem illustrissimi, dum viueret viri studium collegit, eidem bibliothecae inferetur, cum primum dignum tanta elegantia receptaculum perfectum fuerit. Quanta etiam futu-

futurorum incrementorum, quam secura spes sit, in gratiarum actione, huic historiae subiecta obscure certa caussa subindicatum est: idque sero aperiri, sero muneris auctori publicas gratias decerni, tum ipsius caussa, tum nostra etiam, quo sinceriora esse vota credibile est, optamus.

Sub initium auctumni magistratum academiae commissarii nomine iniit, quem magna illius cum vtilitate gesit, et finiuit feliciter, SCHMAVSSIVS. Inter prima, quae pro magistratu egit, hoc fuit, quod ALBERTO HALLERO a Bernatibus suis, vbi medicinam multorum cum salute, et in anatomico theatro demonstrationes faciebat, publicamque curabat bibliothecam, ad susscipiendam medicinae professionem ALBRECHTI morte vacuefactam huc arcesito, locum in senatu academico suum, secundum nempe in medicorum ordine tribuit. Idem mox professores extraordinarios GE. HENRICVM AYRERVM, quem praesertim, quae circa summos in iure honores consequendos legitima sunt, dextre obita, augustissimi regis consilio commendarant; et IO. FRID. PENTHERVM, qui redituum et rerum metallicarum, aedificiorumque rationes consiliarii dignitate apud illustrissimum comitem Stolbergensem tractauerat, consiliarii regii honore ornatos, illum etiam iuridicae facultatis assessorem, hunc aedificiis tuendis praefectum; LVD. MARTINVM KAHLIVM denique, qui in Halensi academia philosophorum ordini adscriptus fuerat, sacramento adegit. Omnes hi paucis ante inauguralia sacra hebdomadibus inter ordinarios professores, iuris quidem AYRERVS, reliqui duo autem philosophiae, locum occupare iussi sunt. Vt

in

in aedificiis vltima coronis imponitur: Sic professorum Collegium primario primi Theologorum Ordinis professore IAC. WILHELMO FEVERLINO, qui Altorfii sacras literas et Philosophiam docuerat, tandem impletum est.

Atque haec fere intra tres annos gesta, quibus sic aedificiis, viris, legibus, condita et constituta Academia, sic ipsa vndique aucta et expolita vrbs est, vt sub tam placido imperio, quale est GEORGII II, tam miti summarum rerum administro, qualis est MVNCHHVSIVS, inter tot impedimenta, illinc saepe vnde minime metueres obiecta, vbi cum tot hominum tam variis ingeniis, luctandum erat, hoc tantae molis opus perfici potuisse, miremur merito, diuinamque in ea re prouidentiam, magnum Regis animum, industriam MVNCHHVSII incredibilem, agnoscamus atque veneremur.

Haec itaque cum ita se haberent omnia, idoneum tempus visum est, quo prodiret quasi de thalamo suo Georgia Augusta, vt, quibus rebus, quam splendide exornata esset a munifico Patre suo, ostenderet; quo publica caerimonia et sollemni pompa inaugurata dedicaretur. Licet enim pleno iure suo gauisa atque vsa fuerit haec vniuersitas studiorum, ex quo tempore tabulis Caesareis et suis instruxerat illam Rex Potentissimus; licet et iurisdictionem Academicam omnem explicauerat, et honorum suorum gradus contulerit, quos ratos esse, atque optimo iure valere, negauerit nemo: tamen placuit Regi, nihil eorum praetermittere, quae ad commendandum illustrandumque munus suum pertinerent; aut iusta tali in re superiorum temporum obseruatio feciſſet. Iussi sunt

sunt ea de re sententias dicere et conferre primum aliquot professores, qui vel vidissent id genus sollemnia, vel studiosius legisse putarentur. Horum deinde cogitatis vsum prout videretur Consilium Regium, totum rei gerendae ordinem, ab ipso Augustissimo Rege probatum, huc misit, et Commissario Senatuique Academico exigendum persequendumque commendauit. Qua in re commode euenit illud in primis, quod magistratus, vt iam indicauimus, continuatus est viro vti acerrimo et vigilantissimo, ita rebus gerendis per superiorum quae ornauit, munerum rationem adsueto, et subacto; qui sollicitam et nihil remittentem curam adhibuit, primo quidem, vt sub hoc ipsum tempus, vbi tot attentos spectatores habitura esset haec Academia, nihilo, quam adhuc se praestiterant, immodestiores haberemus ciues; verum tales, qui ipsi suis moribus et se et doctores suos commendarent; deinde vti reliqua etiam regiis litteris iuncta suo quodque tempore peragerentur. Itaque ante omnia Regii de inauguranda Academia edicti exempla typorum ope multiplicata, publice proposita, et, vt ad omnium notitiam peruenirent, distributa ac dimissa sunt. Tum Programma Vniuersitatis nomine propositum, quo id ipsum pluribus verbis significaretur, atque ad spectandum inuitarentur hospites; ad modestiam et humanitatem, suas virtutes, nostri incitarentur. Illius porro Programmatis exempla aliquot ad Academias omnes, loquentes quidem Germanice, et Protestantium, qui vocamur, sacris vtentes, cum litteris Academiae nomine scriptis missa, quibus rogarentur, vt significare ciuibus suis consilium Regium, et actioni nostrae fauere vellent. A Iulia ad Elmum

illud

illud praeterea petitum est, vt pro sororia illa necessitudine, qua communi erga Augustissimum parentem pietate deuincimur, Legatum Ordinis sui vnum alterumque mittere ad nos vellet. Responsum ab omnibus humanissime; litterae ipsae, et quibus praeterea honoribus sollemnia nostra quaedam illarum prosecutae sint, deinde proponentur.

Inuitandorum Ordinum Prouincialium, praeclare, vt supra commemoratum est, de hac Vniuersitate meritorum, curam Consilium ipsum Regium suscepit. Hic interim, quo magis praestitutum tempus appropinquaret, tanto magis feruere omnia studiis. A Commissario Academiae inuitati septem Comites Illustrissimi, quorum deinde ponentur nomina, vt non praesentia modo sua ornare caerimoniam, sed operam etiam ferendorum insignium amplam Academiae, neque sibi inhonestam, praestare vellent, ita vt ipsorum humanitate et cognita quotidianis experimentis modestia ac ciuilitate dignum erat, responderunt. Magno etiam se numero offerebant, qui Designatorum siue Caduceatorum, Marschallos vulgo vocant, pompae per partes ac membra, quasi sua regendae ac deducendae, prouinciam suscipere vellent. Qua in re illud ante reliqua constitutum, vt Legationi ipsi Regiae quatuor adiungerentur generosi; reliquis autem pompae membris bini quorum alter generis etiam nobilitate censeretur; quis autem quo in loco ministerium illud obiret, sorti permissum. Hic honestissimum quoddam certamen animaduersum est, sorti deferentibus omnia his quoque, quos generosae stirpis antiquitas ne sollicitaret; vt vltra Academicam illam aequalitatem ciuilitatemque aliquid peterent, quidam verebantur; reliquis

contra

contra dextrum et antiquiorem in vno quoque pari locum, et vt a ſolis generoſis deducerentur Legati, vltro nobilitati tribuentibus. Qua modeſtia ſi ſemper vbique vterentur Academici, incommodis multis, et cruentis non nunquam rixis ſuperſederi poterat. Quam libenter eam prouinciam ſuſciperent, quantoque eam ſibi honori putarent hi caduceatores, vel inde apparuit, quod tunicis Attalicis omnes, aut veſtibus alioqui pretioſiſſimis exornati ſuo tempore comparuerunt. Tum his igitur Caduceatoribus, tum Comitibus Illuſtriſſimis, tum ſummis et Magnificis viris, qui vel Prouincialium ordinum nomine, vel Iuliae Academiae, interfuturi pompae erant, mature ordo totius caerimoniae, et ſcriptis comprehenſa ratio, tradita atque miſſa eſt, cautumque adeo, ne quid poſtea improuiſae confuſionis, ignorantiae, diſceptationis, contentioniſue, negotium, quod in elegantia quadam et concinna venuſtate totum ineſt, turbare facile poſſet. Simili de cauſſa edictum propoſitum, quo paterne ciues, nec ſine beneuolentiae ſignificatione hoſpites, qui iam aduentare incipiebant, admonerentur, ne quis immodeſtia ſua, ebrietate, petulantia, turbare vellet publicam laetitiam, ſed hilares potius et boni bonos dies nobiſcum omnes obirent.

Nimirum iam circa Auguſti menſis finem aduenerant non Academici modo honoris, et graduum, quos vocant, Candidati Facultatum omnium, qui legitima ante facere, et tum in colloquiis, quae examina dicimus, tum in diſputationibus publicis ingenii et doctrinae ſuae guſtum dare vellent; ſed alii etiam, quos rei nunquam viſae, nunquam forte iterum ſpectandae, opportunitas exciuerat. Itaque publica auditoria frequen-

quentari ab eo tempore, et feruere inauguralibus disputationibus, ac tota passim vrbe homines ipso hospitum aduentu ad expectationem nouae rei erigi, atque animaduertere, non frustra susceptam fuisse, proximo ante tempore, a Collegio peculiari eorum, quos Politiae Commissarios vocant, cui de Academia praeses datus est, curam tum annonae omnis generis, tum hospitiorum; cui quidem vtrique rei ita prospectum est, vt in maxima insolitaque hominum multitudine, quantam forte ab eo inde tempore non vidit Gottinga, quo cataphractorum equestria certamina, et hastatos ludos, intra moenia sua spectauit, peragi, neque diuersoria commoda, neque aliarum copiarum, aequissimo pretio venalium, quidquam cuiquam defuerit.

Longum est enarrare, qua ratione vnaquaeque res curata sit; illud speciminis loco indicabitur. Aduenientibus hospitibus in ipsa porta vrbis datum est edictum typis expressum, in quo monerentur, quo eundum esset, si quis nondum haberet hospitium: et erant constituti homines, qui descriptas haberent domus et conclauia, eaque in classes distributa suas, prout quis vel laxius, illustrius, commodius, diuersari, vel arctiore hospitio contentus esse vellet. Ad eumdem modum descriptum erat, vbi stabulari equi possent; vehiculis et mollioribus illis et vulgaribus, loca adsignata: indicatum, vinorum aliorumque potuum vbi, et quo pretio copia esset? Cauponae tum perpetuae, tum temporariae vna alteraque, thermopolia, foeni et auenae copia, vbi esset? verbo, edictum illud qui haberet, habebant autem omnes, ille peregrinum se vix amplius sentiebat in vrbe, quae alias raro peregrinum viderat.

Edi-

Edictum aliud Magistratus Academici aduentantibus datum est, in quo indicaretur, quid agendum esset, si quis in templo Academiae adesse, et spectare sollemnia vellet: in promtu erat notitia quaedam totius caerimoniae, ordoque omnium rerum descriptus, quam qui prae manu haberet chartam, sine notore poterat vel inter sollemnem pompam, vel in templo ipso, personas omnes noscere, et quid ageretur, si etiam vox nulla ad aures ipsius perueniret, intelligere. Dies Septembris quintus decimus, Dominicus qui esset, iam sacer fuit huic caerimoniae. Iussu enim Regio supplicatio in templis omnibus instituta, qua gratiae immortali Deo agerentur, qui opus suum, hanc Academiam, huc vsque laetis auspiciis prouexisset, admonerenturque homines, vt recte vti fruique vellent munere diuino atque Regio *. Hoc ipso die primum inuisit ad nos, suppresso quidem et occultato Legationis et personae splendore, Excellentissimus Legatus Regius, GERLACVS ADOLPHVS de MVNCHHAVSEN, qui et fratre suo Illustrissimo, PHILIPPO ADOLPHO, Consiliario Regis intimo et Stadensis Consilii Principe, comitatus, et secundo Legato, Perillustri viro IO. PETRO TAPPIO, considerare coram vellet, paratane essent omnia, locus praesertim an satis actioni suscipiendae ornatus aptatusque esset? et primum hanc voluptatem cepit, hunc fructum incredibilium curarum laborumque suorum, vt nihil non ex praescripto, hoc est, ex dignitate vel commoditate

* Proposita publicae pietati verba Psalmi CXXII, 3 - 9.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697605/phys_0087
DFG

peragendae caerimoniae, adornatum esse inueniret. Niminum ex area, siue naui, quam vocant, ecclesiae, quae Diuo Paullo olim dedicata aedificiis Collegii Academici continetur, remota sunt subsellia omnia, vt tanto maiorem numerum spectatorum stantium caperet. Ea quae remotior a choro pars est, insuper gradibus quibusdam retro sublata fuit, vt quo quis remotius staret, tanto idem emineret altius, liberioremque prospectum haberet. Chorus, quem temporarium conseptum a naui ecclesiae diuideret, ipse etiam gradibus aliquot sublatus, ac molli insuper fastigio versus remotiora a naui aliquantulum adsurgens purpureique coloris pannis stratus vndique, subsellia habuit ad vtrumque latus, in medio vero altissimoque loco pulpitum serico purpurei coloris, et limbis aureis distincto stratum, ad cuius dextrum latus sella stabat holoserico et auro ornata, anaclinterio siue dorso pariter et brachiis instructa, sedes Legati primarii; in siniſtro vero latere collocata fuit sella ornata similiter, nisi quod careret brachiis, in qua secundus Legatus adsideret. Ad dextrum porro chori latus trina subsellia parata erant, quorum media occuparent Ordinum Prouincialium et Academiae Iuliae Ablegati; post hos, ad ipsum parietem, locum haberent Magistratus vrbanus, et sacerdotum collegium; ante autem, assiderent illustrissimi Comites, quibus parata erant subsellia sine lorica, vt ministrare commodius insignia possent. Ad siniſtrum chori latus similia subsellia Professoribus Doctoribusque posita, et graduum Academicorum Candidatis, nisi quod pro anterioribus illis subselliis ipso dedicationis die posita erat mensa longa recipiendis insignibus, in cuius locum tamen

men altero, promotionum, die ſubſellia pro Candidatis collocata ſunt.

Podia templi in conclauia quaſi quaedam, ſuis inſignita numeris, diuiſa erant, quibus numeri teſſerarum reſponderent, vt prout quisque teſſeram adferret, ita locus illi a diſpoſitis militum praeſidiis adſignaretur. Haec, et Auditoria, atque Bibliothecam, totumque adeo aedificium, cum perſpexiſſet Legatus, Wehndam ſe ante meridiem iterum recepit, digno perſona ſua apparatu atque ſplendore rediturus poſtridie. Hoc enim die, ſextus decimus erat Septembris, circa horam ſecundam, ad ipſum introducendum Wehndana porta, poſt breuem per vrbem tranſuectionem egreditur equeſtris turma tum eorum, qui equorum ſubigendorum artem in Hippodromo noſtro diſcunt, tum de omni numero Academicorum ciuium, prout cuique volupe aut commodum erat, collecta, (centum et viginti circiter numerabantur) in equis bonam partem militaribus ſplendideque ſtratis et phaleratis, ornata ipſa vt veſtibus, ita alacritate, recto et decoro corporis habitu, in primisque modeſtia. Ibant autem bini, ducente agmen ſtabuli apud nos Academici Magiſtro Trichtero, cogente, qui vibrare arma docet, Kahnio.

Non procul a Wehndenſi praetorio erant, cum egredientem ipſum Legatum vident. Seiugi curru itinerario vehebatur, adſidente ad ſiniſtram ipſius Legato altero, cuius vacuus currus proxime ſequeretur; vtrique porro currui famuli plures inſtabant. Ad quinquaginta fere paſſus cum abeſſent, reſiſtunt equites, deſcendunt, qui in primo agmine fuerant, delecti ab vniuerſis Oratores BVRCHARDVS CHRI-

STIANVS BEHRIVS, Eques Luneburgicus, et ANASTASIVS CONRADVS WEICHBERGERVS, Brunſuicenſis, quorum ille breui oratione habita vniuerſorum ciuium nomine Legatum reuerentiſſime ſalutat, cui humaniſſime placidiſſimeque ipſe reſpondet, et quam iucundum ſibi ſit cum ipſum quo iam fungatur munus, tum Academicorum officium, qua pollet facundia oſtendit. Quo facto circumactis equis, vt iam clauderent agmen, qui modo duxerant, currum ipſius antecedunt, et ſic viſenda illum pompa in vrbem introducunt, in cuius ipſa porta praeſto fuit ſalutandi cauſſa magiſtratus vrbanus. Syndicus verba cum feciſſet, come reſponſum huic quoque Collegio dedit Legatus Excellentiſſimus.

Paratum ipſi fuerat diuerſorium in ampla domo, quam habitat Dux Praeſidii Gottingenſis, Io. AVGVSTVS DRVCHTLEBIVS, Vir Generoſiſſimus fortiſſimusque, Brigadam ducere nuper iuſſus, ſui autem Regimenti tribunus. In hanc cum per Wehndanam plateam, amplam illam quidem et ſatis ſpatioſam, ſed innumerabili hominum multitudine ita refertam, tranſitus vt vix daretur, delatus eſſet, Senatus ipſum Academicus, in ipſo veſtibulo conſiſtens, venerabundus excepit, et in anterius cubiculum proſecutus eſt. Hic cum conuerſus conſiſteret Legatus; Commiſſarius Academiae SCHMAVSSIVS affectus ſuos et collegarum, gaudia, pietatem, bonam ſpem, et vota, breui oratione, ſed ad perſonas et negotium accommodatiſſima, declarauit: cui, vt ſolet, Legatus reſpondit, et, quam omnes plurimis ſpeciminibus cognitam habent, prolixam benignitatem, voluntatemque propitiam, iis verbis oſtendit, quae ipſa nouis vin-

vinculis animos omnium adstringerent. Neque satis habuit vniuersim omnes benigne alloqui, sed prout in quemque oculis incidisset, comiter illum appellare, et vel requirere aliquid, vel narrare, sermonesque miscere familiarius, nec prius eos dimittere, quam nuntiata Prouincialium Ordinum, Helmstadiensiumque Legatorum, atque Illustrissimorum Comitum, praesentia, qui salutandi caussa omnes venerant, auocaret ipsum, et de discessu nos admoneret. Quos modo dixi salutatum venisse, ii omnes in ingressu ipso cubiculi excepti a Legato et eodem reducti sunt: ad adsidendum inuitatus nemo, cum adsistens cum stantibus ageret. Inter haec turma Studiosorum equestris in statione quasi, hemicyclo ante domum formato, manere, dum de fenestra prospicientis Legati aperto capite salutandi copia fieret, qua facta per modestum silentium, cum strepitus nisi a ferratis equorum pedibus nullus exaudiretur, discesserunt. Eodem tempore pyrobolariorum statio honoris caussa ad Legati diuersorium collocata est. Vespera illa hilariter inquieta fuit. Cum enim magna vis hominum per portas omnes curribus, plaustris, equis, pedibus suis denique infunderetur; tum Campani aeris de turribus templorum omnium, sex autem numerantur, sonitus, aures implebat, quem mox tympanorum strepitus concentusque tubarum et lituorum a Symphoniacis in Iohannea turri et altera Iacobi collocatis, insecutus est. Eodem genere cantus (illis praesertim numeris, quibus *soli in excelsis Deo gloriam* antiquissimo hymno, Lutheri stilo, tribuit) et laeto Campanarum murmure, personuit, et excitata vrbs est ipso, qui iam feliciter illucescebat septimo decimo Septem-

bris die. Sub tertium Campani aeris impulsum, ante septimam horam, qui pompae interfuturi erant, conueniunt, in Collegii quidem diuersis conclauibus caeteri: ordinum vero Prouincialium atque Academiae Iuliae Ablegati, cum comitibus, in Legati Regii diuersorio, eiusque cubiculo anteriore. Legatus alter Regius in ipsum se cubiculum iam paullo ante contulerat. Designatores Legationis bini ad ingressum anterioris cubiculi, bini infra in vestibulo domus stantes, excipiunt aduenientes ac deducunt. Adsunt etiam Designatores, quibus Ablegatos, Comitesque antecedendi sors obuenerat, sumtisque caduceis, in cubiculo, quod vestibulo cohaeret, pompam Academicam expectant. Haec nimirum post horam septimam eo ordine, quem iam persequemur, ex interiore collegii area per Theologorum auditorium processit. Primum Studiosorum agmen ducebant

FERDINANDVS RVDOLPHVS de BOELZIG Eques Saxo, et

ADRIA. IVSTVS MERCKER Quedlinburg. Iuris Studiosi.

Hoc speciosissimum numero, laeto flore iuuentutis, vestium nitore, modestia in primis agmen fuit. De numero hoc habemus. Ad mille et quadringentos a se numeratos aiunt viri fide dignissimi: et passim tamen videres de fenestris prospicientes, stantes in plateis, vel qui in templum mature se contulissent. Caeterum quaterni exibant aula Collegii, vt quisque portae proximus esset, vt quemque notitia aut familiaritas ad alios adiungeret, nullo generis, aetatis, aut quocumque alio obseruato discrimine, hospites intermixti

mixti noſtris, de nulla re contendentes alia, quam vt quisque ordinis, tranquillitatis, hilaritatis, ſe oſtenderet ſtudioſiſſimum.

Poſt hoc praeeuntibus cum caduceis,

EBERHARDO AVGVSTO Barone de GEMMINGEN Heilbronnenſi, et

RVDOLPHO CHRISTOPHORO BILDERBECK Cellenſi Studioſis Iuris

incedebant linguarum, et mouendi ad numeros corporis magiſtri, in quibus antiquior locus datus eſt Regio ſtabuli Academici magiſtro. Sequebantur, deſignatoribus

BVRCHARDO CHRISTIANO BEHR Eq. Luneb. et

HENRICO MAGNO BARKHAVSEN Schauenb. Studd. iur.

Sacrorum apud nos interpretes ac miniſtri cum ſuo Ephoro, ſacerdotalibus trabeis induti: ac ductu

IO. WILHELMI LVDOV. de BERLEBSCH, Eq. Hannouer. et Haſſi, Stud. iuris, et

LVDOLPHI WILH. HÜPEDEN Iuhnda Hannou. Stud. Theologiae,

Magiſtratus vrbanus, nigris veſtimentis pompam honorans. Tum Academicorum honorum Candidatos praecedebant

OTTO DE MVNCHHAVSEN Equ. Hannou. Stud. Iur. et

FRID. WILHELMVS ZIEHN Neoburgo Cell. Stud. Theol.

Porro Magistros Philosophiae, quibus primo loco adiunctus erat Iuridicae Facultatis Actuarius, Io. Henricvs Listivs, ducebant

Lvdovicvs Baro Schenck de Winterstaett, Eq. Luneb. et

Io. Iac. Wolff Hamburg. Studiosi iuris.

Doctorum omnium Facultatum, qui nigris vestibus palliatiqui non minus quam Magistri erant, horum igitur agmini antiquissimo loco adiuncti erant Secretarius Academiae Wilhelmvs Kvpeke, cum Gallicae linguae Professore Anto. Rvgemontio. Hos ducebant

Henr. Christ. de Stockhavsen Equ. Hannouer. et

Io. Conr. Lvdovicvs Schlemm Hannouer iur. Studd.

Denique caduceatoribus

Gottlieb Lvdewig de Lenthe Equ. Cellensi, et

Nicolao Schwarz Sudensi Pomer. Studiosis iuris,

Collegium vniuersum Senatus Academici procedebat, nouo et magnifico habitu etiam conspicuum, pileo supra quadrato holoserico, trabea ex optimo panno Anglico talari cum syrmate non nullo, manicis vltra sciſſuras vbi brachia exseruntur, ad terram fere dependentibus, descendentibusque vtrinque a collo latis ex holoserico concolori clauis, et reliquis ex eadem materia replicationibus, distincta. Philosophorum ordini,

ordini, qui hic primus ingrediebatur, color attributus est violaceus, medicis ille, qui de purissimo minio fulget, purpureus ICtis, niger theologis. Rubra etiam academiae ministris siue Bidellis pallia data sunt, quibus induti commissarium academiae, (hic cum designato pro-rectore vltimum, hoc est antiquissimum locum tenebat) sequebantur. Haec satis longa pompa vbi egressa conseptis collegii, dextro flexu per librariam et hinc Wehndanam plateam ad legati diuersorium peruenisset, paullum ibi restitit, dum id nuntiarent collocati in vestibulo caduceatores legato, et placeretne ipsi pergere? interrogarent, atque eam ipsam illius voluntatem significarent pompae principibus. Hic igitur diuersorio legati primum egressi reliquae se pompae adiunxerunt academiae Iuliae ablegati, illustris et generosissimus Io. Gvilielmvs de Goebel, vtriusque iuris doctor et P. P. O. ordinis sui senior, serenissimi ducis Brunsuico-Luneburgensis a consiliis aulicis dicasteriique Guelfici assessor, itemque excellentissimus atque experientissimus Petrvs Gerike, medicinae doctor, huiusque et anatomiae ac chemiae P. P. academiae scientiarum regiae Berolinensis collega, quibus caduceatores praeibant

Ioachim Werner a Bülow Equ. Lauenburg. et

Henr. Bvrchardvs Stegemann Diepholt. studiosi iuris.

Tum praecedentibus

Hans Hinrich von der Decken Equ. Bremensi, et

Ana-

ANASTASIO CONR. WEICHBERGER Brunſu. ſtud. iuris,

inſignia academiae et pignora, impoſita holoſericis coccineo colore puluinis, quorum ſuturae aureis limbis tectae, ex angulis autem aurei cum villis nodi dependebant; inſignia ergo academiae portabant comites, quos ipſos inſignia academiae decora reputamus merito. Vnicuique illorum ad latus adiunctus ibat adiutor quidam et quaſi armiger, quem ipſe ſibi delegiſſet, qui, ſi opus eſſet in longiuſcula via, ipſum ſubleuaret, et, ne quid incommodum aut male ominatum accidere poſſet, prouideret. Placuit eum ſeruare ordinem, quem dies, quo quiſque academicorum Albo inſcriptus eſt, ſubiiceret: qua in re illud venuſte accidit, vt eadem aetatis fere et ſtaturae ratio ſeruata videretur. Igitur, quod nouiſſime nomen dediſſet, princeps ibat cum ſtatutis, ſigillo, et pallio decani philoſophorum ordinis

Illuſtriſſimus Comes, PHILIPPVS ERNESTVS, Comes et nobilis dominus Schaumburgi LIPPIAE et Sternbergae, in Aluerdiſſen,

latus ipſius claudente

CHRISTO. FRID. GEORGIO MEISTERO Weickershemo-Franco, iuris ſtud.

Illuſtriſſimum comitem HENRICVM XI. RVTHENVM S. R. I. Comitem ac Dominum Plauiae, Dynaſtam de Graiz, Crannichfeld, Gera, Schlaiz et Lobenſtein, lineae ſenioris,

portantem ſtatuta, ſigillum, et pallium decani facultatis medicae, comitabatur familiaris ipſius

Io.

Io. Leopold Vertravgott de Gelhorn Equ. Sileſ.

Illuſtriſſimus Comes, Lvdovicvs Bernhardvs, Comes Henckel, et Baro de Donnersmarck, Dynaſta inclutarum et partim liberarum inter ſtatus Sileſiae dynaſtiarum de Beuthen, Tarnowiz et Odenberg, dominus de Gſoell et Weſchdorf,

ferebat ſtatuta, ſigillum, et pallium decani ordinis ICtorum, adiutore

Io. Benia. Reinhartho, Erfurtenſi iuris Stud.

Illuſtriſſimo Comiti Wilhelm Reinhardo, Comiti in Iſenburg et Budingen iuniori,

habenti ſtatuta, ſigillum et pallium decani theologici ordinis, ſuccenturiatus quaſi erat

Gottlieb Henricvs Trever, ſtud. iur.

Illuſtriſſimi Comitis Alberti Avgvsti, Comitis in Isenbvrg et Budingen, medii,

qui ferret pallium cum pileo pro-rectoris, latus tegebat

Avgvst. Wilh. de Rhetz, Equ. Guelferbyt.

Illuſtriſſimus Comes, Ferdinandvs Casimirvs, Comes in Isenbvrg et Budingen, ſenior

dum geſtat ſtatuta generalia vniuerſitatis cum matricula et ſigillo academiae, adiunctum ſibi habebat

Ge. Lvdov. Mehmet de Königstrev, Anglum.

Illuſtriſſimum denique Comitem Henricvm Ernestvm Comitem Stolbergae, in Königſtein,

ſtein, Rochefort, Wernigerode, et Hohenſtein, Dynaſtam de Epſtein, Munzenberg, Breuberg, Aigmont, Lohra et Klettenberg,

cui commendata erant priuilegia tum caeſareum, tum regium, vna cum ſceptris academiae, decuſſatim puluino impoſitis, ſubleuare paratus ibat

Io. Christ. Iaeger de Iaegersberg, Equ. Wurtemberg.

Hi igitur in publicum e diuerſorio legati cum proceſſiſſent, a caduceatoribus quatuor

Friderico Wilh. de Vslar, Equ. Hannouer.
Andrea Henrico de Platen, Equ. Pomerano,
Ernesto Avgvsto von dem Bvsch, Equ. Weſtphalo,
Herm. Frider. de Behr, Equ. Curlando, ſtudioſis omnibus iuris,

deducti legati regii intra veſtibulum diuerſorii currus ſuos conſcendere, primarius quidem binorum ſedilium, ſeiugem, ternis vtrinque ſtipatum pediſſequis, quem praecedebant deinde laudati modo caduceatores quatuor; alter vero vnius puluini, equis iunctum duobus, cui a tergo inſiſtebant pediſſequi. Sequebantur caduceatores

Vlricvs Andreas a Wackerbarth, Equ. Lauenb. et
Carolvs Klentze Megapolit. iuris ſtudd.

atque hos prouincialium ordinum ablegati, curribus inuecti ſuis, biiugis ipſis quoque, qui in Wehndana platea

tea adhuc ordine cum ſtetiſſent, iam progreſſos extra diuerſorium legati dominos recipiebant, quorum hic nomina ponere, iisque ſplendorem huic narrationi conciliare, fas fuerit.

E Principatu Calenbergenſi

Reuerendisſimus GEORGIVS, liberi et imperialis monaſterii, Luccenſis Abbas, a conſiliis prouinciae et aerarii, et

Perilluſtris ERNESTVS AVGVSTVS ab ILTEN, curiae prouincialis iudex atque a conſiliis prouinc. et aer.

E Luneburgenſi Principatu

Perilluſtris WERNERVS HENRICVS de CAMPEN, a prouinciae conſiliis et curiae prouincialis aſſeſſor, et

Perilluſtris GEORGIVS WILHELMVS L. B. de SPOERKE a prouinciae conſiliis et curiae prouincialis aſſeſſor.

E Principatu Grubenhagenſi

Generoſiſſimus GE. LVDOVICVS a MINNIGERODE, commiſſarius licentiae Wollershuſanus.

E Lauenburgico Principatu

Illuſtriſſimus Comes, GE. LVDOV. de KIELMANSEGG, inter milites praetorianos maior excubiarum magiſter.

Generoſiſſimus DETLEF a BÜLOW, in Gudow.

Ex vtroque comitatu Hoienſi

Perilluſtris HIERONYMVS aQVITER, a conſil. prouinc. et aer.

Per-

Perilluſtris ADAMVS ERNESTVS CHRISTI. a STAFFHORST, cubicularius regius, praefectus ſuperior, et a prouinciae atque aerarii conſiliis.

Claudebatur agmen vacuis, niſi quod famuli inſiſterent, comitum curribus, eo, quem ipſi tenebant heri, ordine euntibus. Sic per forum progrediebatur pompa, inter Nolani aeris murmura, et tubarum clangores, et ſonitus tympanorum, quorum chorus in pinnis curiae diſpoſitus reſpondebat alteri in Iohannea turri collocato, ſic ſuperato frumentario foro, dextro flexu per Gronanam plateam, ampliſſimam totius vrbis, et arboribus vtrinque conſitam, hincque tranſuerſo itinere verſus templum academicum ſiue Paullinum pergebat, cum interea non comitarentur eam homines, aut per compendia euntes bis iidem ſpectarent, ſed forum, et vicos, et domus omnes ſimul implerent. Multi circa templum praeſertim, quod modo nominaui, cum feneſtrae omnes occupatae eſſent, in tecta ipſa aſcenderant, teguliſque ſublatis fecerant ſibi ſpectacula; quidam periculoſius etiam in ea loca fuerant eniſi, vbi ſuſpenſum et fallax veſtigium, quod procul intuentes terrebat, ipſi prae ſpectandi cupiditate non metuebant. Ne quid in tanta hominum multitudine turbaretur, diſpoſitae per vicos, qua ibatur, ſtationes, denis circiter paſſibus a ſe diſtantes, cauebant. Plebs ipſa, quae ad minora et quotidiana fere, vt ſunt nuptiarum, funerum, ſupplicíorum quorumdam, ſpectacula immodeſtius ſolet ſe gerere, ad hunc inuſitatum ſplendorem, qui oculos praeſtingueret, viſa obſtupeſcere, placidum et facilem eunti pompae progreſſum praebuit. Caeterum collocá-

locatus in podio Paullinae aedis exteriori, quod portae decumanae imminet, tympanorum tubarumque chorus salutauit aduenientem pompam, nec perstrepere ante, quam ingressi essent Legati, desiit. Hic praemonstrata sibi loca cum omnes occupassent, insigniaque in paratam ei rei mensam, praetensam professorum subselliis, post legatorum aduentum, deposuissent comites, cum iam pone Legatos ab vtroque pulpiti latere starent bini caduceatores, reliqui autem in gradibus eleuati, vti dictum est ante, chori ita tamen ne cuiusquam prospectui officerent, atque ad transuersum conseptum, constitissent; symphoniaci modos numerosque a Io. Frider. Schweinitio nostro factos, eodem moderante peragunt: verba germanici carminis infra sunt concioni de qua statim dicetur, subiecta. Tum vnus itemque alter hymnus ecclesiae sollemnis accinentibus instrumentis, cantatur: inter haec procedit in concionem vir venerabilis Balthasar Mentzervs, sereniſſimi regis in ecclesiastico consistorio consiliarius, et primus in aula electorali concionator, atque orationem habet, quae ipsa quoque in hoc volumine * repraesentatur. Finita concione, et precum peracto carmine, eaque, quam sacerdotalem, benedictionem vocat ecclesia, hymnus, quo praesens Sancti Spiritus numen eadem implorat, accinentibus et hic instrumentis musicis, a toto populo cantatur: sub cuius finem a duobus designatoribus, qui siniſtro pulpiti lateri adhuc adstiterant, euocatus legatus alter, idemque orator regius, pulpitum conscendit, ipsamque inaugurationis atque dedicationis caerimoniam peragit, qua dignitate atque decen-

* In illo scil. de inaugur. Acad. Georg. Aug. supra iam citato.

tia, existimare possunt, qui norunt virum; sciunt, qui praesentes adfuere: quibus verbis, quam ad rem ipsam accommodatis, vsus sit, vt ii etiam cognoscant, qui tum frui illo non potuerunt, tota ipsius actio, hoc est, nobilissima pars totius caerimoniae, huic narrationi subiuncta est. Cum nimirum, ne plane nihil de ea dicamus, verbis, quorum facultatem habet, grauissimis, et cuius rei caussa conuentum esset, indicasset, et sereniſſimae Guelforum domus commemorasset quaedam in bonas litteras antiqua merita, quaeque bonarum litterarum apud maiores nostros diuersis temporibus fuerit facies, quanta illarum sit vtilitas, breuiter strictimque, accurata tamen comtaque oratione, explicuisset; ad ipsum propius accesit negotium, ac de consilio augustissimi regis condendae academiae, illiusque succesſu ea, quae tempus postulare videbatur, dixit. Tum ipsa verba sollemnia, quibus inauguraretur dedicareturque academia, cum maiestate quadam pronuntiauit, aduocatumque ad se nouum primumque academiae Georgiae Augustae pro-rectorem, quum sacramento prius adegisset in eam formulam, quae semper in posterum seruabitur, pileo et pallio auro purpuraque fulgentibus induit: priuilegiorum legumque exemplaribus sacra manu firmatis, et splendidissime cultis, sceptris item ac sigillis, omnibus denique magistratus sui insignibus instrumentis, iuribusque exornauit: tum decanos quatuor quasi decuriarum, quas facultates dicimus, ipsos quoque condecorauit palliis ex holoserico, ordinis cuiusque colorem referentibus, legumque ipsis exempla authentica cum sigillis tradidit: reliquorum autem per singulos ordines professorum nomina, et quam partem doctrinae

quis-

quisque ornare iussus esset, recensuit. Qua in re tum caetera magnam dignitatem habuerunt, tum illud, quod pro diuina, qua pollet memoria, haec omnia sic exsecutus est, vt ad commentarium respicientem nemo inter tot auditores obseruauerit. Finem dicendi cum feciſſet, denuo audiuntur symphoniacii: redit ipse sessum ad sellam suam: in pulpitum escendit nouus pro-rector, ornatu nouo et splendido conspiciendus, ac breui ille quidem sed digna isto loco, istis auditoribus, oratione gratias agit immortali Deo, inuictissimo caesari, regi potentissimo, illustrissimo legato: futurique temporis felicitatem ex ipso, quod modo perfectum esset, munere regio orituram, suaui admodum probabilique praedictione commemorat, atque in precibus laudibusque diuinis definit.

Hinc vocibus omnium atque instrumentis concinitur hymnus Ambrosianus, signoque campanula Paullinae aedis dato, in turribus omnibus mouetur per vices aes nolanum, et tubarum locis praedictis clangor cum tympanorum strepitu miscetur. Discedunt de choro atque ex templo adeo legati regii, quos ordinum prouincialium delegati, et comites illustrissimi, qui insignia gestauerant, curuli pompa, sed absque caduceatoribus, in diuersorium vsque comitantur, atque hinc ad ipsam illius portam flexis curribus vehuntur in curiam ad paratas ibi epulas. Interim deferuntur a designatoribus aliquot insignia, quibus iam locus non erat in reduce academicorum pompa, nempe priuilegiorum statutorumque volumina, cum sigillis ipsisque adeo puluinis, per ianuam proximam in collegii archiuum, ibique cum iis caduceis, quorum iam vsus non amplius esset, a secretario inclu-

duntur. Cum hic rediiſſet, et clauem tradidiſſet pro-rectori, domum hic ſuam per breuem anfractum, qui explicandae pompae ſufficeret, deductus eſt. Nempe adiuncti duobus Helmſtadienſium delegatorum caduceatoribus duo illorum, qui legatum ipſum regium deduxerant, initium faciunt; ſequuntur iam cum ſceptris, quae pro-rectori tradita fuere argentea, inaurata, grauia, ſolida, elaboratiſſima, Bidelli: tum laudati modo Iuliae academiae delegati medium accipiunt pro-rectorem, quem ſuo ordine, praecedentibus quidem ſuis caduceatoribus, ſequuntur profeſſores reliqui, et in vnoquoque ordine digniſſimo loco decanus, pallio iam ſuo et ipſe conſpicuus, ac noſcendus. Tum inuerſo, qui ante fuerat, ordine reliqui cum deſignatoribus ſuis academici, vrbanusque magiſtratus, et chorus ſacerdotum, itemque linguarum et mouendi corporis magiſtri, claudentibus agmen, qui duxerant ante, ſtudioſis. Hic omnis comitatus ad domum vſque noui pro-rectoris progreſſus, vt quiſque ad ipſius limen peruenerat, diſceſſere. Hinc, qui pridie eius diei teſſeris datis inuitati erant, pergunt in curiam. Cum conueniſſe omnes nuntiatum eſſet, ſecunduſque legatus regius paullo ante iam adfuiſſet, ſuperuenit bigis vectus, quibus pedisſequi inſiſterent, primarius quoque ipſe legatus; ſalutatur in magno atrio, ſalutat, ſermones prout in quemque inciderat, miſcet, diei laetitia et ſua humanitate dignos. Inſtructa ibi in ipſo ſenatus habendi cubiculo menſa legati illuſtriſſimi, qui primo loco, ſella tamen communi cum adſideret, e regione collocauerat fratrem ſuum illuſtriſſimum, ſupra iam laudatum, qui patris familias partes ſecum ſuſtineret. Huic menſae adhibitus

acade-

academiae pro-rector dextrum legati latus claudebat, siniſtrum autem decem ordinum prouincialium delegati: ad pro-rectoris dextram ſeptem comites, et poſt hos Helmſtadienſium delegati adſidebant; reliqua loca decanis tribus reliquis (quartum, theologicum, gerente, pro-rectore) adtributa. In magno atrio parata menſa, in qua legatus ſecundus patrem familias ageret, et ab vtroque latere haberet ſexdecim profeſſores reliquos. Superiora loca dux praeſidii Gottingenſis DRVCHTLEBIVS, et hoſpites alii generoſiſſimi occupabant. Tribus praeterea menſis in eodem atrio aliis viri generis nobilitate, vel militari gradu, aut munerum aliorum ſplendore inſignes, tum de vrbano magiſtratu atque ſacro ordine nonnulli, excepti ſunt. Patris familias locum et munia tuebantur in prima quidem trium menſarum tribuni legatus, in duobus reliquis excubitorum praeſidii Gottingenſis maiores duo magiſtri. Hilariter et laute cum coenatum eſſet, augente alacritatem tubarum tympanorumque ſtrepitu, admiſſaque magna ſpectatorum honeſtiorum multitudine; hinc diſceſſum eſt, initium faciente poſt menſas ſublatas, ac promiſcua in circulis ſtantium conuiuarum humaniſſimaque colloquia, legato excellentiſſimo.

Apparatae ſub veſperam ſtudioſis quoque ſuae ſunt epulae in magno iuriſconſultorum auditorio, vbi quatuor menſae rotundae maiores ſtabant, eiſque ciborum frigidorum ſeptenae lances impoſitae, quibus ſubſtitui ſubinde poſſent aliae. Deſignatores hic diſſecandis cibis, diſtribuendiſque, et propinationibus incipiendis, patrum familias partes explebant, ac ne hilaritas imbecilliorum, cum quantum quiſque vellet

vini miniſtraretur, exiret in laſciuiam, exemplo et blandis admonitionibus cauebant. Quantum ea profuerit cautio, ipſaque adeo in media hilaritate modeſtia et venuſta humanitas noſtrorum hominum, et peregrinorum eam laudem aemulantium, quanta fuerit, cognitum in primis eſt, cum eadem veſpera honorem legato ſymphonia haberent. Tantum enim abfuit, vt ebrios clamores, aut petulantes iniurias, aut rixas calidas audires, vt potius ordinem bonum, et mirificam hominum, nulla re magis quam libertate gaudentium, conſenſionem, quae velut a militari imperio profecta ad numeros omnes reſponderet; et ſilentium in tanta multitudine exactum, quodque nuſquam turbaret ſymphoniacos, admirareris. Nimirum cum intra horam octauam et nonam de Iacobea et Iohannea turribus, quarum haec, quae primario vrbis templo adiuncta eſt, lucido de lucernis plurimis circulo ornata, vrbem quaſi ipſam coronare videbatur, vltimum laeti inſtrumentorum, quorum ibi vſus eſſe ſolet, concentus auditi eſſent: duae velut cohortes ſtudioſorum, quarum duces cum caduceis erant laudatus antea REINHARTHVS et SCHLEPPEGRELLVS, candidis cereis diem quaſi reducentes, diuerſis e vicis ante ipſum excellentiſſimi legati diuerſorium conueniunt, et cancellos ac pulpita ſymphoniacorum, ſemicirculari forma exſtructa, ita circumſiſtunt, vt theatri pulcherrimi formam efficerent. Carminis ipſius exemplum infra ponetur cum aliis: numeros noſter SCHWEINIZIVS fecerat. Obtulerunt illud illuſtriſſimo legato, ſericae telae impreſſum, et Attalica ex auro veſtitum, impoſitumque puluino holoſerico, limbis villisque ex auro aſſutis ac dependentibus,

tibus, HANS HINRICH VON DER DECKEN, cuius primum in albo nostro nomen supra iam retulimus, et Io. GEORGIVS TITIVS. Aliud exemplum carminis, ipsum quoque peculiariter cultum, illustri legato secundo cum honoris amplissimi significatione traditum est. Placere sibi honorem studiosorum, alacritatem, quae nihil derogaret modestiae, moderationem, quae nihil hilaritati officeret, de fenestra prospiciens legatus et vultu et sermonibus ad proximos, quam cogitari potest humanissime significauit. Felicissime sic transactum diem, natalem academiae Georgiae Augustae auspicatissimum, nox quieta, tumultu nullo, clamore, periculo, turbata, consecuta est.

Qui hanc excepit dies, duodeuicesimus Septembris, sollemni praemiorum honorumque academicorum vel distributioni vel promulgationi tributus est: quam caerimoniam tum legatorum regis, tum tot aliorum hospitum praesentia augustam magnificamque reddidit. Intra septimam et octauam horam professores facultatum omnium in cubiculo, habendis senatus conciliis destinato, conuenere, (vbi traditi illis obiter sunt regia liberalitate nummi seruandae huius sollemnis memoriae cusi) in contiguo autem secretario honorum academicae nobilitatis candidati. De his missi quatuor, qui inuitarent, oblatis etiam programmatum a decanis scriptorum exemplis, legatos regios; singuli autem candidati eodem consilio ad ordinum prouincialium, atque Iuliae academiae delegatos. Qui cum rediissent, inter aeris campani sonitus de collegio processit pompa eiusmodi. Praeibat cum tympanorum pari chorus tubicinum, tum cum sce-

ptris bidelli, et magnificus pro-rector inter duos illustrissimos Comites medius. Hos sequuti comites reliqui; tum caeteri professores, trabeis suis conspicui, hoc modo, vti spatio modico inter eas, quas facultates dicere solemus, relicto, decanus pallio insignis, primo ordinis sui loco incederet. Sequebantur secretarius academiae cum professore Gallico, et post hos incedebant doctores aliquot et magistri, vel aucti apud nos hoc honore, vel ciuium iura et docendi facultatem adepti, palliati omnes, quibus immistus ante magistros ibat iuridici ordinis actuarius. Deinde candidati honorum, et facultatum ordinem seruantes, et eum, quo in programmatis nomina illorum posita erant. Agmen claudebat festiuus studiosorum numerus. Ista academicorum series eadem via, qua superiori die, ad legati vsque diuersorium processit, et hinc proximo ad dextram flexu perrexit ad aedem Paullinam, locaque in suggesto chori occupauit. Cum nuntiatum esset, aduentare cum suo comitatu excellentissimum legatum, (vehebatur hoc die et ipse bigis vt caeteri) obuiam illi progressus pro-rector cum professoribus et academicis reliquis extra templi ianuam ad ingressum subdiualis areae, ipsum inter tympanorum tubarumque clangores extra aedem, intra autem concinentibus reliquis symphoniacis, in locum eundem, quem pridie eius diei tenuerat, deduxit; reliquis etiam magnis hospitibus loca sua, et nota, occupantibus, nisi quod comites, quem locum in processu habuerant, inter pro-rectorem et reliquos professores medium, nunc in sedilibus etiam tenerent; candidati autem ante professorum subsellia scamno antrorsum aperto considerent. Pro parua et simplici cathedra siue pulpito, quo lega-

legatus alter regius vſus in dedicanda academia fuerat, poſita iam duplex cathedra, quae octonos minimum viros iuxta ſtantes caperet. In huius ſuperiorem locum poſt cantatum hymnum huic ſollemni compoſitum pro-rector, idemque decanus theologici ordinis cum eſcendiſſet, collocatis ante bidellorum miniſterio in inferiori cathedra candidatis quatuor digniſſimis, poſt breue exordium ad rem ipſam acceſſit, ac legitima, quae ſolent, cum dignitate et venuſtate peregit; quae quidem hic enarrare tanto minus opus eſt, cum tota illius actio et decanorum, qui iidem brabeutae erant, reliquorum, hoc eodem volumine contineatur. Nimirum cum diſceſſiſſent de cathedra ſuperiore et ipſe, et, quos ad ſe euocauerat, noui doctores theologi, inter breuem ſymphoniacorum concentum, inferiorem occupant iuris vtriusque candidati ſex, quibus, poſt recitatum carmen elegantia ſua dignum, decanus ordinis ſui GEBAVERVS honorem, quem petierant, ita contulit, vt nihil praeter ipſam renuntiationis formulam, extra carminis legem loqueretur, nihil non cum decente grauitate ageret. Ad eumdem modum quoque actum a medici ordinis decurione RICHTERO, ac TREVERO philoſophorum, quorum ille ſeptem, hic autem octo praeſentibus cum pileo, annuloque honorem ſuae facultatis ſummum tribuit. Praeter eos, qui praeſentes ornarentur, fuere etiam in ordine quidem philoſophorum, quibus abſentibus certa de cauſſa honos haberetur, in omnibus autem, quibus collatus ante gradus nunc in tam ſollemni celebritate publicaretur. Cumque in prioribus facultatibus euenerit, quod nec alias inſolens eſt, vt primi loci viri ornamenta ab illis peterent: tum philoſophorum ordi-

ni contigit, vt magistros proclamaret duos decanus, qui post collatam sibi a magnis regibus consiliarii aulici dignitatem, illam quoque lauream petere atque recipere non indignum putarent, alter etiam, illustris SCHMAVSSIVS noster, post gestum feliciter magistratum academicum proclamari demum se magistrum audiret, in quo illud etiam singulare fuit, quod eodem actu et suum quasi praeconium audiuit, et filium suum eodem honore praesentem vidit augeri. Habuit hoc etiam honorificum haec panegyris, quod primus in electoratu Brunsuicensi concionator, idem qui priore die bona verba iussu regio dixerat, gratias publice suo, et reliquorum omnium, qui ornati fuerant nomine, digna ipsius eloquentia oratione, persoluit. Peractis omnibus, hymno per symphoniacos decantato, legatum regium ad currum suum deducunt, cum pro-rectore academici. Deinde pompa ducitur similis ei, qua introitum fuerat, nisi quod pro-rector primum doctorem theologiae dextrum sibi deducit, alterum primus comitum, et sic deinceps seruato vtrinque ordine, vt paranymphos quasi suos haberent doctores et magistri singuli. Haec pompa viam, qua ingressa fuerat templum, retro emensa cum esset, in ipso collegio discessit.

Hinc itum ad epulas, in quibus excellentissimi legati mensae adhibiti cum pro-rectore professores reliqui, praeter decanos, qui in mensa legati secundi cibum caperent. Noui doctores per mensas alias diuisi. Caetera eodem modo, quo priori die peracta: par illustrissimi legati comitas, par hilaritas omnium, eaque tanto maior atque sincerior, quod superior nox tranquille adeo, vti diximus, peracta magnam gaudendi materiem omnibus praeberet.

Tertio

Tertio die oratio in Paullina aede de cathedra superioris diei habita est, ab academiae oratore GESNERO, qua gratiae agerentur Deo, regi, legatis, hospitibus caeterisque, quibus deberi videbantur, ob rem adhuc bene gestam. Hanc quoque actionem praesentia sua honorarunt legati, et caeteri magni hospites: eaque finita in auditorium academiae philosophicum deduci se a professorum ordine passi sunt, in qua Gallica oratione idem egit ROVGEMONTIVS.

Quartus dies tributus et ipse est publico actui, quo pro-rector vsus iure comitis palatini, caesarea regiaque lege pro-rectoribus huius vniuersitatis tributi, poëtas laureatos duos creauit, Io. MARTINVM HAASIVM, cuius nomen etiam inter magistros deinde legetur, et NICOLAVM CIANGVLO italicae apud nos linguae lectorem carminibus patria lingua editis olim celebrem. Caeterum coronam poëtæ praesentia sua etiam honorarunt legatus illustrissimus et proceres reliqui, cum ante in hippodromo exerceri in equis vidissent, generosissimorum aliquot iuuenum pulcherrima corpora. Sic hilariter hoc etiam die transacto, nulla calamitate, vulnere nullo turbatis sollemnibus, cum a nemine triste quidquam audisset, tristem a se dimisisset neminem, inter vota et acclamationes faustissimas, vltimo tam laetae hebdomadis die discessit a nobis verissimus noster Maecenas MVNCHHVSIVS, quem summo suo merito votis et omnibus faustis boni omnes et patriae amantes prosecuti, optimo regum cum reliqua omnia, quae felicem ac beatum reddunt ipsum cum republica, tum hoc inprimis precati sunt, vt et hac benefica quasi manu sua vtatur diutissime felicissimeque; et in posterum magnarum,

rum, quas tanta mens agitat, rerum similes semper MVNCHHVSIO administros inueniat. Quemadmodum enim tum demum beatissimam arbitramur rempublicam, si principes habeat, qui GEORGII II. vestigia persequantur, seruent et amplificent instituta; eamque felicitatem posteris a stirpe GEORGII laeta pietate pollicemur: sic in maxima ipsorum principum felicitate ponendum haud dubie est, si eorum, quae ipsi agere per se non possunt, tales habeant actores atque ministros, quorum ardens virtus et MVNCHHVSIANAE similis, dum fidem praestant et obsequium regibus, ipsos quoque ad coelum et nominis immortalitatem gloriae alis et amica posterorum commemoratione euehat. Quam quidem felicitatem condita secundis auspiciis, ornata magnifice, feliciter dedicata, academia Georgia Augusta, indulgentissimo patri suo, et qui nati ab illo, nascenturque, formandis egregiis viris, qui et agere scribenda possint, et legenda scribere, quacumque opera et summo conatu (faueat modo Deus, et fauebit operi suo!) adiuuabit.

* *

XXXVIII.

PRAEFATIONES CATALOGIS LECTIONVM PRAEMISSAE.

I.

Quod bene euenire Deus et litteratae huic vniuerſitati et toti rei publicae iubeat, primum hodie vobis proponitur, Ciues Optimi, operarum veſtrae vtilitati a nobis deſtinatarum tabula publica; et mature proponitur, vt tanto accuratius deliberare, et conſtituere certius vnuſquiſque poſſit, quibus in rebus ſuam velit induſtriam exercere. Nondum, vt videtis, plenus eſt docentium apud nos ordo; quod tamen paullo poſt certo futurum nouimus: ſed nihil tamen eſſe videtis, quod quidem didiciſſe bonos iuuet, quod diſci hic non poſſit. Supereſt, vt quam nos prolixam voluntatem ad vos deferimus, optima quaeque ex animi noſtri ſententia vos docendi eam veſtra vos alacritate, diligentia, atque ſtudio, conſequamini, et magis magisque incitetis. Ad omne enim genus honeſtiſſimorum ſtudiorum pertinet, quod de eloquentia optimus magiſter Fabius, *nemo expectet vt alieno tantum labore ſit diſertus.* Agite igitur, frequentes nos conuenite, vt conſtitutis accuratius et temporibus et penſis ſine mora ingredi noua curricula queamus. P. P. Gottingae a. d. XI. Mart. cIↃ IↃcc xxxvi.

Diſpu-

II.

Disputat apud Platonem more suo Socrates cum Protagora de ea quaestione, *Vtrum doceri virtus possit?* Hic eo vtitur argumento, vt, *multos a se commemorari posse*, dicat, *qui, cum boni ipsi essent, neminem vnquam, melior vir vt esset, perfecerint, neque familiarium, neque externorum. Huc igitur*, inquit, *respiciens, non arbitror inter ea esse virtutem, quae doceri possunt.* Speciosum sane argumentum, verum idem non vsque quaque certum, sed insidiosum potius, et ad inuidiam optimis optimarum artium doctoribus conciliandam aptum, si fortuna quaedam illos ad discipulos appulerit tales, qui vel non possint ob stuporem naturae suae, vel nolint ob suam peruersitatem, sedulam discendi operam doctoribus suis dare. Vt igitur hoc argumentum merito deprecantur doctores, ne male de se existimetur, si parum respondeant disciplinae illorum alumni: ita contra ea argumentum est minus fallax, quo *non deteriores* esse putantur *magistri illis, qui ex ipsorum disciplina boni ac fortes viri prodierint.* De vobis, generosi vel sanguinis vel animi commilitones, illud iure nostro videmur confidere, quod iam ex parte cognitum habemus, nos ea, de qua diximus, inuidia liberos, paulo post vestris virtutibus, vestrae doctrinae, vestris in remp. meritis, bonorum doctorum nomen debituros, P. P. a. d. XVI. Sept. CIↃ IↃCC XXXVI.

III.

Est hoc in intimis naturae nostrae rationibus insitum atque infixum, vt perinde alacres ad agendum simus, vt accipi ab aliis quod agimus videmus: quod

quod vsque eo commune est, vt etiam equi et aliae generosiores bestiae plausus et laudis quemdam sensum habere, iisque reddi incitatiores, videantur. Pertinet hoc vel in primis ad studia doctrinae. Ponite celeberrimum quemuis doctorem, et amplissimae coronae magna cum laude dare operam solitum, eo adigi, vt inter paucos, eosque forte oscitantes, dormiturientes, agentes aliud, destituatur. Diuinus homo sit oportet, nisi repente omnis illum et vis, et ardor, et ea, qua tanto opere placebat, alacritas destituat. Neque enim facile est, quin humanum vix est, idem mentis ac spiritus in docendo concipere, pauciſſimis, talibusque tantum, praesentibus, quam si quis aliqua dicentium celebritate instinctus dicat.

Vobis igitur inter alia debemus, Commilitones cariſſimi, si incitamur inter docendum ardentius, si laetius efferimur, si ipsa illa contentione concitationeque felicius profundiusque vobis optimarum rerum praecepta infigimus. Id vero si e re vestra esse vel maxime intelligitis, porro quaesumus facite, vt nostrae inseruiendi vobis cupiditati studia vestra, concursus, attentio, respondeant. Nos lubentes fatebimur cum Poëta*, *Si quid est in* recitationibus *nostris quod placeat, dictauit auditor.* Sic spem nostram et vota amiciſſimorum vestrorum impleatis ac superetis. P. P. Prid. Kal. April. cIↃ IↃcc xxxvii.

* MART. Praef. L. 12.

IV.

Cum tanta sit eruditionis dignitas, tanta commendatio, ut saepe etiam imperiti homines et ab omni solida doctrina destituti sola scientiae opinione

ad

ad fastigium aliquod perueniant, et falsa illa gloria non sine commodis insignibus fruantur: hinc induci quidam se patiuntur, non illi quidem doctrinam ipsam adipisci vt studeant, hoc enim nimis laborioſum illis videtur, sed vt per varias artes circulatorum et pilariorum praestigiis similes, famam eruditionis consequantur. Et sane negari non potest, satis belle quibusdam procedere illud falsae choragium gloriae, apud vulgus quidem, hoc est, homines vel imperitos omnino, vel non satis cautos: interim tamen pro vno, qui personam simulatae eruditionis feliciter pertulerit, denos, quin centenos reperietis, quibus vt Cumanae pecudi aliena pellis summo cum dedecore suo detrahatur, in quibus nempe verissima Fabii vox locum habeat, *Qui stultis videri eruditi volunt, stulti eruditis videntur.* Superest igitur, carissimi Ciues, vt, contemto illo inertium et ignauorum perfugio, Socratica verissimaque via incedamus, nec vllum certius ad gloriam iter putemus, quam *vt ipsa illa virtute studeamus praestare, cuius laude atque gloria gaudemus.* Quotquot igitur doctrinae nomine laudari aliquando optatis, strenue oblatas hic etiam opportunitates accipite, et quod videri vultis, illud ipsum esse omni contentione studete. Qui serio voluerint, experiundo cognoscent, facilius esse ingenuo homini, doctum fieri, quam doctrinam ita, vt risum non debeat acutioribus, simulare. Nempe hic quoque *virtutis tutela facilior, vitia magno constant.* P. P. inter apparatus ad inauguralia sacra, quae Deus nobis fortunet! a. d. XII. Sept. CIↃ IↃCC XXXVII.

V. Pro-

V.

Proponitur vobis hac tabula venalis bona bonarum mercium copia, venalis non illa tam pretio, (quo si redimi illae possent, nae nihil pecunia esset potius!) quam iis rebus, quae in diuitum pariter ac pauperum potestate sunt, vna praesertim maxima, *seria discendi et obsequendi voluntate.* Haec enim si adsit, vel in mediocri ingenio, vel in magna rerum aliarum inopia, facilius doctrinam et sapientiam comparabit aliquis, quam si ea desideretur, caetera autem circumfluant omnia.

Hinc est, quod iacent saepe, et sibi suisque familiis, reique publicae adeo, oneri sunt homines in feliciſſimo ingenio, honoratis natalibus, re familiari lautissima, praeceptis instituti optimis, opportunitatibus discendi maximis vsi; contra in splendidis reip. muneribus versentur, quibus nihil horum magnopere adfuit, adfuit autem, qua illi sola caruere, *seria discendi voluntas.* Quanti hoc sit in vtramque partem, sapientis et magni viri * verbis dicemus. Conqueritur primo de saeculi sui adolescentibus, *Quotusquisque*, inquit, *vel aetati alterius vel auctoritati, vt minor, cedit? Statim sapiunt, statim sciunt omnia. Neminem verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt.* Pergit autem, *Sed non Auitus, cuius haec praecipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabatur:* HAEC PRAECIPVA ERVDITIO, QVOD DISCERE VOLEBAT. *Semper ille aut de studiis aliquid aut de officiis vitae consulebat: semper ita recedebat, vt melior factus:*

* Plin. Epist. 8. 23. 3.

factus: et erat factus vel eo quod audierat, vel quod omnino quaesierat. Felices vos, Cariſſimi Ciues, quo propius ad huius Auiti imaginem acceſſeritis: felices patrias, quibus multi tales ciues ſuccreſcent: felices nos, ſi multorum ex hoc genere nutrix haec Academia quondam celebretur. P.P. a.d. XIX Mart. CIↃ IↃCC XXXVIII.

VI.

Lubentes vtimur ex hoc loco alienis eorum de ſtudio litterarum ſententiis, quorum antiqua auctoritas ponderis aliquid addere illis poſſe videtur. Modo Plinianum * illud occurrebat, *Vt ſatius vnum aliquid inſigniter, quam facere plurima mediocriter: ita plurima mediocriter, ſi non poſſis vnum aliquid inſigniter.* Verum vniuerſim et ſine exceptione vel declaratione illud vſurpare, neque nobis decorum, neque ſatis accommodatum vobis, Optimi Ciues, videbatur. Quid enim? ſatius eſt, vnum aliquid minutum in ſtudiis literarum facere inſigniter, optimum, vt hoc vtamur, anagramma facere, aut pronuntiare ſuauiſſime aliena dictata; quam plurima mediocriter? Quod ſi admittatur, metuendum eſt, ne multis bonis viris, et multiplici artificio rei publicae vtilibus praeferatur ille macerati milii in acum obuerſam inſignis, et nunquam aberrans, iaculator, cui dignum tanta arte praemium contigit, modii aliquot milii, in quibus eam exerceret. Sed nimirum non nimis acutum ipſum eſſe aporteat, ſi quis Plinium deſipientis adeo praecepti auctorem arbitretur. *Vnum aliquid* eſt vnum

* Epiſt. 9, 29, 1.

vnum magnum aliquid, et rei publicae vehementer vtile. Tale quid vnum insigniter facere quin satius sit, quam facere plurima mediocriter, dubitari vix potest. Theologum esse insignem, vt nostra artium diuisione vtamur, ICtum, Medicum, Philosophum, sine dubio maius est, quam singula illa mediocriter attigisse; et magnum Historicum, Mathematicum magnum, esse, excellentius est ad gloriam, quam si quis nullius earum rerum rudis sit, quas Academiarum vsus quartae Facultatis nomine complecti solet. Recte ista. Verum etiam subiiciendum est illud alterum. Qui vnum insigniter facere se non posse sentiat, is vt quam plurima studeat facere mediocriter. Multorum, etiam ingeniosorum hominum, etiam non nimis pauperum, ea fortuna est, non vt suo arbitrio eligere vnum quiddam possint, in quo elaborent prae caeteris omnibus: sed semper et vbique hamus illis pendeat necesse est, plura discant mediocriter; cum nesciant, quid sit inter illa plura, quod ad rem et honores pariendos prodesse sibi maxime possit. Tum vero illud etiam cogitemus non minus verum, non facile esse in studiis nostris vnum aliquid insigniter facere, nisi quis mediocriter certe possit plurima: adeo late patet ille doctrinarum orbis; adeo artes omnes vinculo quodam et cognatione continentur. Proponitur vobis, Commilitones, in hac tabula totus ille doctrinae, quantus hodie est, ambitus: patet copia discendi plurima. Vestrum est recte libertate illa Academica vti, et inde, quae ad rem vestram sunt, arripere, quandoquidem homini datum non est comprehendere simul omnia. Nos quidem, vt sunt patrum vota fere auida, optamus, vt nec desint in coetu

vestro, qui plurima insigniter ad laudem et gloriam facere apud nos discant, nemo autem, quin insigniter vnum, et mediocriter plurima. Ita vobis et studiis vestris diuina indulgentia faueat. P. P. a. d. VII. Sept. cIↃ IↃ cc xxxviii.

VII.

Quibus publica Academiarum instituta displicent, eorum haud ultima illa querela est, quod aiunt, specioso libertatis Academicae nomine concedi adolescentibus, in Academiam, tanquam nouum aliquem orbem, delatis, rerumque proinde omnium ignaris, quos doctores et quibus de rebus differentes velint audire; cum tamen vel ipsa illa professione, quod discendi se caussa venire aiunt, satis ostendant, ad illud se iudicium aptos minime esse. Ciceronis, qui ita disputant, auctoritate vtuntur, *Statuere**, *qui sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis.* Laudant illam Maurici solicitam prouidentiam, qui negotium dederit principi suae aetatis ingeniorum, Plinio, vt quaereret sui fratres liberis praeceptorem, cui hic respondet **, *Quum omnes, qui profitentur, audiero,* (per scholas nempe se circumiuisse dixerat) *quid de quoque sentiam, scribam: efficiamque, quantum tamen epistola consequi potero, vt ipse omnes audisse videaris.* De pluribus, quae hac de re dici possunt, illud vnum in praesentia suffecerit, apud nos satis cautum esse ipsius Avgvstissimi Regis nostri, et Magnificentissimi Academiae suae Rectoris, prouidentia, per Sapientissimum quo Germaniam suam regit Consilium, ne publicus Doctor constituatur, quem audisse, poeni-

* Acad. 4, 3. ** Epist. 2, 18, 3.

poenitere quemquam debeat; a nobis autem curari, quantum potest, ne priuato studio profiteri artem cuiquam liceat, quam non didicerit. Fruimini igitur, Optimi Ciues, libertate vestra, et de appositis vobis hoc libello, et de hac tabula, dapibus vel vestro, vel amicissimorum vestrorum iudicio, quae placent, eligite. Quidquid elegeritis, non metuimus, ne male vobis consulatis. Ille optimus doctor erit, quem diligentissime audieritis: illae optimae recitationes, quas summo studio frequentabitis, repetetis, ad actum ipsum et vitam transferetis. Cui alio praeterea, et magis ad suas rationes adstricto, consilio prudenter instituendi peragendique feliciter Academici curriculi opus erit, ei fidelem operam nemo nostrum rogatus non praestabit. P. P. a. d. XV. Mart. cIↃ IↃ cc xxxix.

VIII.

Quod in omni genere vitae ac studiorum oppido vtile est, vti semper ad finem respiciamus et eas actiones, in quibus occupari aliquando, quibus & publicam rem iuuare, et augere familiarem decreuimus, hoc in doctrinae et literarum studiis aliquem facere, adeo non est reprehendendum, vt summa potius laude dignum iudicetur. Verissima vox illa, *Nisi vtile est quod facimus, stulta est gloria*, etiam ad nos laboresque nostros pertinet. Verum ad hoc opus est sapientia quadam non sane vulgari, vt, quid vtile sit, peruideamus. Nimis hic quidam angustis terminis circumscribentes vtilitatem, ea modo in hunc censum referunt, quae pensari, honorari certe, solent pecunia. Vtamur exemplis, quae maxime in promtu sunt: Concioni-

cionibus habendis tentantur aestimanturque vt plurimum, qui Theologiae dedisse operam videri volunt; caussis scripto agendis, referendis ad iudices, vel sententia decidendis, censentur ICti; Medici autem curandis aegrotis professionis suae numeros implere, et quas largiri opes Galenus dicitur, solent consequi. Ad haec itaque remis et quadrigis contendendum qui aiunt, nihil illi sane peccant: nisi forte putamus, posse fieri, vt sit aliquis in vllo horum munerum probabilis, qui nihil horum, quae diximus, possit. Sed viam nimis abruptam, ipsoque compendio dispendiosam, quidam eligunt: concionari volunt discere, aut causas agere, aut curare aegrotos, simpliciter, non ante adhibere praesidia, quibus exercetur, et quasi subigitur animus, vt illis rebus cum successu tractandis fiat idoneus: cum contra ea alii totum vitae Academicae curriculum in instrumento parando consumant, vile ac sordidum putantes, illo ad ipsum actum vitae, cui se destinarunt, vti. Ex vtroque fonte pariter oritur illa *paucitas*, de qua conqueruntur Viri sapientes, *hominum vitae vtilium*. Non capit haec tabella iustam huius rei disputationem. Itaque breuiter sic habete, ciues. Quanto doctrinae apparatu opus sit, vt optatam in triuio illo metam aliquis consequatur, ipsa vos rerum, quae hic vobis proponuntur, multitudo potest admonere. Etsi non omnibus apta sunt omnia, nedum necessaria: illud tamen dubitationem non habet, quo quis plura sua sibi artis atque professionis praesidia de communibus illis literis adsciuerit, quo diligentius illum quasi orbem rerum discendarum impleuerit; tanto, caetera si non desint, feliciores habiturum

turum in ſua arte celerioresque progreſſiones: adeo, vt illae ipſae litterae, quae, vt fere ea quae ad omnes pertinent, ſecure ſaepe negliguntur, diſcrimen quaſi efficiant inter ignobiliores illos, qui velut opificium quoddam vnum didicere, quo tueri vtcunque ſe poſſint, et inter architectos quaſi ciuitatum, maiores animas, caeteris Conſilio regendis aptas. Quid autem optabilius nobis, quam prodire ex hac ſchola non mediocres modo homines, ſed, quos ſuae quemque claſſis ductores laeti mox conſpicere et admirari adeo nobis liceat. Illi nimirum optime ſibi conſulent, qui capaci et feruido ingenio, excuſſa ignauia, ſepoſitis nugis, corripiant et amplectantur quidquid bonarum litterarum poſſunt; vnum autem genus, quod ſibi delegerunt, ita colant, quaſi illud ſolum diſcendum ſibi, et nihil praeterea habeant. Ad vtramque rem duces hic inuenient, nunquam, ſperamus, poenitendos. P. P. a. d. VI. Sept. MDCCXXXIX.

IX.

Qui Chriſtianorum res ac diſciplinam libenter reprehendunt, eos offendit interdum non nomen modo humilitatis, quatenus ea virtus eſſe dicitur, in quo ferri forte poſſint, cum ignaui et abiecti ad turpitudinem animi vitium eo nomine Romani homines deſignauerint: ſed ipſa quoque natura ac definitio, quam magnitudini animi et honeſto famae gloriaeque ſtudio contrariam eſſe arbitrentur. Ac poteſt fieri, vt quidam vel veteres vel recentes vltra limites, pro ſollemni hominibus intemperantia, hac quoque in re progreſſi ſint, quorum tamen er-

ror sapientissimis Servatoris nostri praeceptis obesse non debet. Iustam eius rei disputationem haec tabella non capit. Videamus breuiter, quomodo se gerat Christianus iuuenis, non literarum modo sed Christianae etiam humilitatis studiosus. Agnoscit, si quid in se boni sit, illud Deo deberi vnice; quae mala sunt ea esse sua. Non comparat se cum deterioribus; sed quam longe absit a fastigio perfecti exempli, dies noctesque cogitat. Non ita saepe illi in mentem venit, quantum didicerit; sed quantum sit, quod nesciat. Qui se moneat, qui errata sibi sua ostendat, qui etiam cum asperitate reprehendat, illum non odisse potest, sed vel grato animo vel modesto excipit: Si quis in diuersa sit sententia, illum non ideo statim errare putat; sed de sua sententia diligenter quaerit. Suorum de quibus conuictus est errorum memor, errantibus ignoscit facile, sibi intendit eo acrius. Quoties versatur inter alios, audire ac discere potius cupit, quam docere et loqui. Cum progreditur ad dicendum, pudore ac metu debilitatis non sine decora cunctatione exorditur, et ipso suo metu pro se metuere alios cogit. Cum scribit, non a iactatione modo sibi cauet, sed asseuerationem etiam vehementiorem refugit. Cum disputat contra alios, molli brachio, suspensoque vestigio rem gerit, cedere paratus semper; tantum abest, vt fronte perfricta et importunis clamoribus alios superare studeat. Huncne vos hominem, Carissimi Commilitones, si vobis offeratur, odisse potestis? huiusne vos similiores esse optatis, an eius, in quo contra se habeant omnia?

Certe

Certe iunior Plinius *, non Christianus ille, ne satis quidem aequus Christianis, *Magis*, inquit, *in studiis homines timor, quam fiducia decet.* Qui ita animatus ad legendam hanc operarum nostrarum descriptionem, qui sic ad ipsas auditiones accesserit, illi fructum spondemus eo vberiorem, quod nihil de eo pestis illa ingeniorum δοκησισοφία, et vana de sua sapientia persuasio, praecerpet, quod vitium cum omnibus noxium est, tum perniciosissimum adolescentibus, quia segetem quasi defrutat, et ipsa semina doctrinae ac virtutis intercipit. P. P. a. d. xx. Mart. cIↃ IↃ cc xxxx.

X.

Cum omni tempore inter omnes, qui philosopharentur serio, illud constitit ac verum fuit, quod hodie his verbis celebratur, *nihil fieri sine ratione sufficienti:* tum non ad vnum modo aut alterum caussarum efficientium genus illud referri potest, sed ad eas in primis etiam, quae tanquam finis aliquis ad agendum nos mouent, vel reuocant ab agendo. Hinc est, quod stultitiae genus vulgo putatur, si quis rationem adferre non possit, cur hoc vel illud egerit, non egerit; quod, vbi veras caussas, quibus ad agendum progressi sumus, indicari pudor est, alias comminiscimur, quae videantur nobis speciosiores. Qui ad literas discendas vel suo se vel alieno consilio applicuerunt, eos saepe comperimus in ratione reddenda, cur hoc vel illud disciplinae genus neglexerint, eo confugere, vt inutilia et vana se discere nolle, non sine supercilio

* Epist. 5, 17, 3.

profiteantur. Nec male profecto, quin ſapienter; ſi probare illam rationem et ſuarum rerum arbitris, et ſuae adeo conſcientiae, poſſint. Sed eſt, quod moneamus illos, vt etiam atque etiam ſibi attendant, ne forte in ipſos conueniat, quod argute diſputatur apud Tullium *, *Difficultas laborque diſcendi diſertam negligentiam reddidit. Malunt enim differere, nihil eſſe in* hac vel illa arte, *quam quid ſit, ediſcere.* In hac tabula, Cariſſimi Cives, nihil vobis proponitur, quod non quibusdam certe veſtrum vtile ac profuturum ſit. Sapientiae veſtrae erit, quod cuique praeter caetera conveniet, quod ad conſequenda ea, quae ſibi ſumma ſtatuit, neceſſarium, vel ſuo iudicio, vel ſi illi diffidat, (quae ipſa magna ſapientiae pars eſt) doctore aliquo in conſilium adhibito, deligere: quidquid autem delectum fuerit, illud eo ſtudio conſequi, quo pecuniam petunt auari, quo ſuperbi honores captant, quoque ſuas conſectari voluptates dediti illis homines conſueuerunt. P. P. a. d. IV. Sept. cIↃ IↃ cc xxxx.

XI.

Dum ingenia vobis noſtra denuo publicamus hac tabula, ea ſubit cogitatio, An non inter eruditionis ac ſapientiae impedimenta ſit ingens illa ſententiarum diuerſitas, qua efficitur, vt quot fere ſunt egregii doctores, tot ſint non diuerſa tantum, ſed ſaepe contraria de rebus maximis minimis dogmata. Quem igitur, dicat aliquis, ſequatur adoleſcens veri cupidus, cum ad ſe quisque vocare illum videatur, reuo-

* Cic. de diuin. I, 47.

reuocare a caeteris? Nonne aut perpetuo dubitandum erit, aut caeco arbitrio et velut iactis sortibus eligendum, quod laudent quidam, alii aeque vehementer damnent? Exaggerat more suo miserias, quae homini sapientiae studioso ab hac parte obiiciantur, Lvcianvs *in Hermotino*, et pene ad desperationem, ac deserenda veri bonique studia, suum illum sodalem adigit. Sed salua res est. Si quis praeter sanitatem sensus communis, et doctrinam eam, qua ad Academica curricula parari adolescentia solet, aequitatem animi, et naturalem quandam bonitatem ad illa doctorum hominum disidia afferat; ille in scholis vel maxime pugnacibus maiorem partem non de rebus maximi ad felicitatem nostram momenti, sed de verbis, quibus vnaquaeque res appellanda, de via et ordine, qua vnumquidque tractandum sit, disputari animaduertet. Breuis est felicitatis doctrina, expeditum iter ad ea, quae nos beatos reddunt. Quibus hoc semel persuasum est, vt nihil se malint esse quam bonos viros; qui in sapientiae, qua diuinae, qua humanae, studio verum et bonum non seiungunt, res aeque arcte inter se copulatas, quam sunt animi nostri partes, quae illis respondent: illi ab hac ipsa animi sui propositione adiuti, etiam si in doctores diuersa sentientes, docentes contraria, incidant, illud tamen, quod caput rei est, quod ita verum, vt falsum nunquam et nusquam esse possit, celeriter arripient, tenebuntque firmiter: caetera ita audient, vti se integros velut seruent, et alteram etiam partem audire parati sint. Hoc igitur agamus, Commilitones Carissimi, ante omnia, quaecunque extra controuer-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697605/phys_0127
DFG

uersiam posita sunt in omnibus omnium ordinum scholis, ea ita demittamus in animum, vt etiam vita ipsa exprimamus. Deinde aequa mente, et sereno ab affectuum turbis animo, videamus de reliquis: et magnum illud verum, quod per omnes dissentientium inter se hominum doctrinas tamen eminet, tanti faciamus, vt amemus omnes illius possessores professoresque. Quae caeteris de rebus intercedit sententiarum varietas, eam vt spectaculum quoddam non iniucundum interea consideremus, dum mature ipsi per nos perpendere aliquando singula possimus. In hac quidem tabula nihil esse confidimus, quod non cum magnae illius et vnius veritatis partibus, quibus felicitas nostra continetur, conciliari queat. P. P. a. d. XII. Martii cIↃ IↃ cc xxxxi.

XII.

Moriturus apud Platonem * Socrates illud inter alia disputat, quicunque recte philosophentur, eos nihil aliud quam mortem meditari, eique viuentes adsuescere. *Tota philosophorum vita*, ait interpres Platonis Tullius, *commentatio mortis est. Nam quid aliud agimus, cum a voluptate, id est a corpore, cum a re familiari, quae est ministra et famula corporis, cum a republica, cum a negotio omni seuocamus animum, quid, inquam,*

* In Phaedone p. 378. c. ἆδὲν ἄλλο ἐπιτηδεύεσιν ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι. Hoc explicat p. 379. g. τὸ χωρίζειν ἀπὸ τᾶ σώματος τὴν ψυχὴν, καὶ ἐθίσαι αὐτὴν καθ' αὑτὴν πανταχόθεν ἐκ τᾶ σώματος συναγείρεθάι τε καὶ ἀθροίζεθαι, καὶ οἰκεῖν μόνην καθ' αὑτὴν κ. τ. λ. quam disputationem persequitur vsque ad p. 386, a. Qui post Platonem et ex Platone illa repetiuerint, diligenter laudauit Dauisius ad Cic. Tus. 1, 30. cuius supra verba quaedam posuimus.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697605/phys_0128
DFG

inquam, tum agimus, nisi animum ad se ipsum aduocamus, secum esse cogimus, maxumeque a corpore abducimus? Secernere autem a corpore animum est mori discere. Nempe *mortis* illa *meditatio* et *commentatio* non est cogitatio de morte, res alioquin vtilissima, et diuinis etiam oraculis nobis commendata; sed est agitatio quaedam exercitatioque mentis, qua a corpore illam auocamus, qua ea cogitamus et tractamus, quae seiuncti etiam a corporea compage animi cogitare et tractere posse videntur. Platonice itaque mortem meditantur et commentantur, qui numeros illos Platonicos, id est a re, quae numeretur, abstractos, qui notiones, rationes, axiomata, demonstrationes vniuersales, quae nusquam sunt, nisi in mente nostra, ita tractant, vt corporis vel sui, vel alieni, aut rei cuiuscunque sub sensum nostrum cadentis, rationem habeant nullam. Tales quidem philosophos admirari forte conuenit; vt autem multi sint in eo genere, non valde optabile est. Metuendum enim est, ne dum ita mori discunt adolescentes, viuere viri nesciant. Non incommode huc traduxerimus Terentianum * illud, vbi pater filio post dedecus admissum dicenti *Emori cupio*, respondet *Prius, quaeso, disce, quid sit viuere. Vbi scies, si displicebit vita, tum istoc vtitor.* Vos, Carissimi, hic inuenietis, qua et quid sit mori Platonice cognoscatis, quod quidem cognouisse neminem poenituerit; et quae ad vitam moderate, prudenter, feliciter agendam pertinent. Faxit Deus immortalis, vt et haec discatis, et, quod extra omnem comparationem maius est, viuere et mori Christiane. P. P. a. d. XXX. Aug. clɔ Iɔ cc xxxxi.

XIII.

* Heaut. 5, 2, 18.

XIII.

Vetus et sapiens antiquorum magistorum praeceptum est, *ita viuere* vnumquemque iubentium, *vti vixisse* se vltimo illo ac *decretorio die velit*. Latissime illud praeceptum patere, nemo non videt, et ad hoc praesertim comparatum esse, vt euitetur occupeturque illud proprium stultitiae votum, reuocari sibi praeteritos annos, et praetermissas opportunitates optantium: quae vt ignaua plerumque et irrita sunt: ita certissimum est aduersus illorum casum remedium in illo ipso monito, quod indicauimus, cuius illa vis est, vt ad singulas etiam vitae nostrae partes, et velut periodos applicari possit ac debeat. Veniamus in rem praesentem, Commilitones! Instat vnicuique illud tempus, quo decursis Academiae Spatiis ratio reddenda erit vitae hic peractae. Si quis sperat, ita de se iudicatum iri, vt primas ferat, qui plurimum pecuniae in corpus vel saginandum, vel vestiendum, vel eneruandum impenderit, qui fortissimus potator, lusor, gladiator, fuerit; quibus rebus ea laus paratur, iis quo minus indulgeat, durum est intercedere. Sed nemo vestrum est videlicet, cuius non interest, alia omnia de ipso existimari: illud quaeretur nimirum, illud spectabitur, quis maximos doctrinae, sapientiae, prudentiae thesauros sibi parauerit, quis eas res modestia, probitate, frugalitate exornet. Hac ergo mente hunc laborum vobis impendendorum indicem in manus sumetis, vt quid didicisse aliquando velitis, nunc quando tempus est, quando opportunum est, accurate perpendatis, agatisque ea, quae egisse paullo post non inanibus

nibus votis optetis, sed solida in felicitate gaudeatis. P. P. a. d. XI. Mart. cIↃ IↃ cc xxxxii.

XIV.

Digna est commentatione aliqua Senecae vox, *quo plus recipit animus, eo magis se laxat* (Epist. CVIII.) Vasi mentem nostram comparat, quod non rigida quadam materia constet, certae tantum mensurae capax, vltra quam nihil admittat; sed quod sit sequacis et flexibilis materiae, et cauis nostri corporis partibus comparandum iis, quae ad ingestorum se modum accommodant, contracta et angusta, si modicum iubeas continere, dilatari autem se patientia, si plura accipere imperes; adeo quidem, vt, prout quisque se adsuefecerit, vel tenui, cicadae instar, rore pasci possit, vel Tricongii nomen mereri. Verum illa caua corporum suam tamen mensuram habent, nec eam ita amplam, vt non mox ad finem illius perueniatur. Animi longe alia est ratio. Veriſſime Seneca, et sine exaggeratione, *quo plus recipit, eo magis se laxat.* Quo plura aliquis vel intelligentia assecutus est, vel comprehendit memoria, vel iudicio acri disceptauit; tanto sibi ampliorem earum rerum omnium facultatem contigisse sentiet: adeo quidem, vt progressione quadam geometrica augeri illae vires videantur, sicut a parua scintilla exortus in materia arida igniculus latius serpit subinde, et quo factus est amplior, tanto incrementis maioribus augetur, vt quae hodie parata est doctrinae accessio, ea multo maior sit hesterna, et crastinam ex se pariat, multum ipsam quoque ampliorem. Hoc qui non sentit, qui non boni imperatoris instar

instar victoriam ab ignorantia reportatam vnamquamque instrumentum facit nouae, ille aut plane se ineptum ad studia nostra agnoscat, aut a via discendi praeceptorum culpa se aberrasse, aut negligentia quadam et leuitate animi non hoc egisse, aut saepe vel magna feciſſe discendi interualla, quae quidem res quantam noxam adferat, amplius dicere, uti dignum est, iam non licet. Nos quidem dabimus operam, Commilitones Cariſſimi, vt qui sequi alacriter praeeuntes velint, illi laborem discendi in singulos prope dies sibi minui sentiant, augeri autem facultatem. P. P. a. d. VIIII. Sept. cIↃ IↃ cc xxxxii.

XV.

Interualla non necessaria, id est, a morbo vel simili casu imperata, facere studiorum, vehementer noxium est. Idque adeo non in illo tantum genere vsu venit, quod totum geometricum est, quod totum methodo, ordine, serie, consequentium cum antecedentibus conuinctione constat, in quo, si lacunam semel admiseris, illud consequitur, quod de alia re Caecina (ad Ciceronem fam. 6, 7.) *quemadmodum scalarum gradus si alios tollas, alios incidas, non nullos male haerentes relinquas, ruinae periculum struas, non adscensum pares etc.* Et sane si quaeras, cur in Mathematicis studiis, in quibus vel propter necessitatem suam, vel propter facilitatem nemo debebat rudis manere, pauci adeo proficiant? cauſſam non postremam illam deprehendes, quod vna alteraque hora intermissa, serie illa et velut catena interrupta, nihil amplius cohaeret; luxata, debilitata, truncata, id est, obscura, sensu cassa vi-

videntur, quae sequuntur omnia, nisi lacunam resarcias. Verum nec aliorum quae docentur in Academiis multum diuersa ratio est. Vt quisque melior doctor est, ita diligentius connectere et inter se deuincire studet omnia, atque efficere, vti quae prioribus horis docuit, ea sint velut instrumenta, veluti claues quaedam caeterorum; vti quae semel aut aliquoties iam dixit, ea tanquam nota ponat auditoribus, iisque iam vt sumtionibus quibusdam vtatur, quas non necesse sit, cum illorum nausea reponere, quoties aliquid inde eliciendum. Quae enim, quaeso vos, progressiones fient, si ad singulos quasi gradus reuocanda sint superiora omnia, et quomodo ea, quae nunc dicuntur, vim et lucem e superioribus accipiant, ostendendum sit. Qui hoc agere volet, ille vt Terentiana illa anus, *mouerit multum*, *nihil promouerit*. Necessaria igitur est in omni rerum discendarum genere continuata quaedam diligentia, vt faciamus, quod in agricultura suadent agricolae, ne in media versurae parte consistamus, (*strigare* vocant sua voce) sed totum spatium enitamur agilius. Quae vobis, Carissimi Commilitones, dicenda supersunt, ea Senecae mandabimus (Epist. 31. pr.) *Ad honesta nitentes, quanto magis incuberint, minusque sibi vinci ac* strigare, *permiserint, admirabor, et clamabo, Tanto melior! Surge, respira: et cliuum istum vno, si potes, spiritu exsupera!* P. P. a. d. XXV. Mart. A. cIↃ IↃ cc xxxxiii.

XVI.

Suaues sunt Socraticorum dialogi his, qui vera et solida amant, simplicia licet et talia, vt quiuis eadem

a se excogitari, a se dici potuisse existimet *. Iam specimen dabimus ex AESCHINIS de virtute dialogo **. Quaerit ibi Socrates, sitne ars aliqua, demonstratione nixa, qua discerni possint adolescentes ii, qui boni viri futuri sint, a reliquis? Respondet amicus, se non habere, de tali arte quod dicat. Tum Socrates, *Atqui*, inquit, *quantiuis ea pretii ars foret, quique illam haberent. Hi enim nobis ostenderent puerili iam in aetate adolescentes illos, quotquot boni viri futuri sint. Quos nos complexi publice in arce custodiremus, argenti instar aut magis etiam, ne quid iis mali accideret, in praelio aut quocunque alio periculo: sed repositi ibi essent, matura aetate Seruatores ciuitati magnorumque auctores munerum futuri.* Etiam nos, ciues, talem artem magno redemtam velimus. Sed quando ea nos destituit, vniuersos interim eo studio complectemur, quasi bonos viros ΣΩΤΗΡΑΣ et ΕΥΕΡΓΕΤΑΣ patriarum vestrarum sperauremus, aut vestro ingenio, aut opera nostra futuros. Hoc tum reliqua disciplina agemus, tum recitationibus nostris, quas non ad scientiam modo vobis, sed vel maxime ad virtutem prodesse deesse Deus O. M. iubeat. P. P. Gottingae a. d. Septembr. A. R. G. cIↃ IↃ cc xxxxiii.

XVII.

Non mera est Latini sermonis proprietas ex impositione quadam et deliciis orta, quod *dare, tradere,*

* Hor. A. P. 240. Ex noto fictum carmen sequar, vt sibi quiuis Speret idem; sudet multum frustraque laboret Ausus idem.

** C. 12. p. 18. Io. Cler. vnde Graeca tantum ponemus, quorum interpretatio satis accurata Latino sermoni difficilis, nempe vltima ista, Ἀλλ' ἀπίκεινο τῇ πόλει ΣΩΤΗΡΕΣ τε καὶ ΕΥΕΡΓΕΤΑΙ.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697605/phys_0134
DFG

dere, *impertiri*, aliquid dicuntur doctores his, qui illos audiunt, hi autem *accipere*. Veritas ſua huic etiam generi formularum non minus conſtat, quam multis aliis, quas inopia verborum et caſus peperiſſe, frequentaſſe temeraria imitatio, et orta hinc conſuetudo non nunquam videtur. Munus profecto tribuit ſatis amplum, qui aliis hoc tribuit, vt poſſint homines inter homines eſſe, vt in gradu aliquo viuere, vt publicae rei partem quamcunque tractando honorem inde ſibi et emolumenta quaerere. Qua in re multo amplior et latior eſt noſtra, quam aliorum largorum facultas. Alii enim, quod dedere, quod de ſuo ſunt elargiti, eo ipſo quo dedere momento habere ipſi deſinunt, neque deinde iterum dare poſſunt. Nos quae hodie dedimus, non ideo non pergimus habere, ſed cras dare aliis poſſumus, et poſtea ſubinde aliis: neque dum viuimus ſolum ita largiri nobis licet de noſtro, aut vni alicui vel paucis teſtamento legare; ſed per omnem conſequentis temporis poſteritatem munera illa noſtra impertiri quibuscunque volentibus. Aliorum donorum haec ratio eſt, vt non poſſit eodem tempore niſi ad vnum aut paucos liberalitatis fructus peruenire, et quo pluribus velis benefacere, eo in minutiores particulas diſpergatur benignitas. Noſtra dona eodem tempore magnae impertiri multitudini licet, vt nihil tamen decedat ſingulis, ſed ſolidum ad omnes beneficium noſtrum perueniat, cum eo quidem, vt qui fideliter accepere, illi non tantum ſibi habeant quod dedimus, ſed ipſi quoque ſimilem et aequalem habeant donandi et largiendi facultatem. Merito igitur hactenus etiam *liberalia*

ralia dicas *ſtudia* noſtra, quod liberaliter adeo et cum profuſione quadam vti illis ſine metu deminutionis liceat.

In hoc libello vobis, Ciues Cariſſimi, munera noſtra, quae in ſex proximos menſes vobis paramus, ac deſtinamus, proponuntur: quae cupide a vobis accipi et arripi, optamus. Quo plura vos accipietis, eo nos iudicabimus feliciores. Nam vt alias beatiores putantur, qui dare poſſunt, quam qui coguntur accipere; ita nulla maior poteſt eſſe boni doctoris voluptas, quam ſi ſuos theſauros cupide videat diripi. Venite ergo, ac de noſtris opibus vſurpate illud Senecae *, *Quod verum eſt, meum eſt.* P.P. a.d. VIII. Mart. cIↃ IↃ cc xxxxiiii.

* Epiſt. 12, extr. cum ſententiae ab Epicuro ſumtae cauſſam dicit.

INDEX

* *

INDEX RERVM.

Academia Georg. Augusta, variae variorum de illa diuinationes 29. 30. verus eius status describitur 392. sqq. Bibliotheca Bulouiana ipsi testamento legatur 434

Academia Georg. Augusta, vnde nomen sortita 406. 463. inauguratur 407. magnum reipublicae pace belloque praesidium est 416. sqq. quales Professores initio acceperit 453. sqq. inaugurationis sollemnia ipsa descripta 476. sqq.

Adolescentes an discerni possint ab aliis, qui boni viri sint futuri 518

Aedificandi ratio vnde repetenda 4

Albrecht Io. Guilielm. Erfurti nascitur 278, ibi etiam academiae nomen dat 278. deinde Wittebergam abit 279. peregrinationem litterariam ingreditur 279. matrimonium eius cum Martha Christina Pfeifferia 280. scripta eius 280. sqq. et mors 284. interna corporis eius constitutio 284. sq.

Alterco vel *Altercor* verus huius vocis et Deriuatorum eius sensus eruitur 79. sqq.

Animus, quo plus recipit, eo magis se laxat 515

Apinus (Sigism. Iac.) Lexicon Grammaticum molitur 2

Arithmetica ciuilis quaenam sit 329

Artium initia saepe ab aliarum rerum imitatione ducta sunt 3. 4

Astrologorum praedictiones sunt vanae 159

Auctores rei rusticae a Gesnero editae notantur 249. refutatio censurae rigidioris 251. sqq.

Berenices Coma, quomodo inter astra relata 159

Bibliotheca Bulouiana Academiae Gottingensi testamento legatur 434. Hanouera Gottingam transfertur 464

Brunquellus Io. Salom. natus Quedlinburgi 268. studiis incubuit Ienae 269. Lipsiae 270. iter litterarium cum Henr. Casp. ab Vslar suscipit 270. 271. enumeratio scriptorum eius 271. sq. Professor Iuris Extr. Ienae esse iubetur 272. reliqui eius honores 273. coniugium et liberi 274. mors 276. oratio in funere eius habita 372. fuit ICtus bonus 375. sqq. bonus ciuis 379. sqq. et bonus denique litteratae ciuitatis rector 384. sqq.

Caesar C. Iul. cur capiti ipsius in numis stella in vertice addatur 160

Causus periodicus quid medicis dicatur 308

Christianae Charlottae Marggrauiæ Brandenburg. natales 212. coniugium 213. post mariti obitum tutelam liberorum agit 215. sq. moritur 221

Ciceronis Epistolae cur quibusdam horrori sint 46. quid in illis expressum sit 46. commendatio illarum 49. Graeuii et Gronouii de illis contentio 49. 50.

Coma Berenices, quomodo inter astra relata 159
Conringius Herm. immortalia huius viri merita 322. natales 323
Conringius Iustus. Origo gentis huius celeberrimae 323. nostri natales 325. studia 325. 326. morbus et mors 327
Consecratio Romana et Graecorum *Heros* vnum idemque fere significant 207
Crusia Christiana Frider. nat. Hubneria, nascitur 290. matrimonio iungitur Magno Crusio 291. corporis eius habitus, morbus 292. et obitus 293
Curius (Manius) quis fuerit 87
Demonstrationes philosophicas num in concionem indoctae multitudinis proferre, consultum sit 96. sqq.
Diuus. Vtrum homines diuos vocare licitum 162
Duella in Academia Gottingensi lege prohibentur 459
Emendatio quaedam Lexici eruditorum 325
Epistolae. Nusquam melius, quam ex epistolis cognoscuntur homines 48
Eruditorum rixae de rebus saepe exigui momenti eos valde dedecent 110
Facere vnum aliquod insigniter, satius est, quam plura mediocriter 502. sq nisi vtile est quod facimus, stulta est gloria 505. nihil fit sine ratione sufficienti 509
Forum apud Romanos describitur 88
Fridericus Ludouicus princeps Walliae matrimonium init cum Augusta, Friderici II. Ducis Gothani filia 123. sqq. 143.
Futurorum praescientiam homines semper adfectarunt 18
Gebauerus Geo. Chr. primus Antecessor Gottingensis constituitur 453. itemque primus Rector 454
Georgius II. Rex magnae Britanniae inuisit Germaniam 133
Gesnerus Io. Matth. primus eloqu. et poeseos professor Gottingae constituitur 453
Gottinga, commendatur a situ, 449. salubritate, cet. 392. sqq. 431. 450. noua ibi conditur academia 407. circitorum vnus gladio ibi traiicitur 398
Graeuii et Gronouii de Epistolis Ciceronis ad familiares collocutio 49.50
Gronouii et Graeuii de Epistolis Ciceronis ad familiares collocutio 49.50
Halleria Elisabeth. parentes eius generosissimi 313. coniugium cum Alb. Hallero 313. ex partu difficillimo moritur 315. 316
Halleria Mariana, natales eius ex Gente Wyssia 297. laudes et virtutes 297. 298. matrimonium et liberi 298. cum morbo conflictatio 298. 299. beata analysis 299
Hallerus Albert. cum Orpheo comparatur 295. sqq. eius scripta laudantur, inprimis Carmen de Alpibus 296. matrimonium prius cum Mariana Wyssia 297

INDEX RERVM.

Heroes deorum filii nominantur 203. Herois appellatio apud Graecos eam vim fere habuit, quam Romana *Consecratio* 207
Hollmannus Samuel Christ. primus Philosophiae primae et naturalis Theologiae professor Gottingae constituitur 453
ICtorum encomia 357. sq. summi ordinis requisita 360. - 362
Inaugurationis sollemnia Academiae Georgiae Augustae 476. sqq.
Interrogatio et responsio sunt vinculum quoddam, quo homines iucunde inter se colliguntur 38. interrogandi copiam facit Studiosis Gottingensibus Gesnerus 40. sqq.
Inuidia fatorum accusatur vt plurimum, si hominibus mali quid accidit 336. et hoc quidem moris est ab antiquissimo inde tempore 337
Iuuenes Christiani, quomodo se gerant 508. sq. praecipua eorum eruditio, quod discere velint 501
Kries (Io. Albinus) de hymnis veterum, maxime Graecorum disputat 113. Torunensibus ob eruditionem commendatur 114. sq.
Laudis sensum quemdam bestiae etiam generosiores quaedam habent 499
Magistri. Eorum qui Gottingae creati sunt recensio 33
Medicamenta quaedam a bestiis hominibus commonstrata 4
Meelbaum Ernest. Ioann. natales eius 339. educatio 339. studiorum ratio 340. mors 340
Mors. Variae, cur a multis contemnatur, rationes 317. 318. et haec saepius etiam vanae 319. 320. cur intra decimum et vigesimum aetatis annum tam pauci moriantur 330. tota Philosophorum vita commentatio mortis est 512
Munchhusius Gerlac. Adolph. in condenda Academia Georgia Augusta diligentem curam adhibet 453. 471. sqq. sollemnis eius in vrbem introitus 474
Nucha quid Medicis dicatur 283
Orpheus, cum eo comparatur Alb. Hallerus 295. sq.
Papenius Christoph. Henr. primus Medicinae Doctor Gottingae renunciatur 462
Philippus Macedo, quomodo ad tam magnam peruenerit potentiam 180
Philosophi, tota eorum vita commentatio mortis est 512
Piae caussae quae dicantur 320
Plinii Panegyrius commendatur 55. sqq.
Praescientia futurorum hominibus negata 19. magnum est diuinae prouidentiae beneficium 20. qualia futura hic intelligantur 21. malorum praescientia homines miseriores efficit 26. bonorum impatientes 28
Princeps iuuenis, magnum reipublicae bonum 225. sqq. 230. exempla principum iuuenum 235
Ratio, nihil fit sine ratione sufficienti 509
De *Reineck* Henr. Christian nascitur Mengeringhusae 332. breue studiorum

diorum curriculum agit 333. atroci cum morbo conflictatur 334. moritur 334. exsangue eius corpus sectum quid ostenderit 334
Reinharthus Tobias Iacob. parentes eius 362. studiorum fundamenta et incrementa 362. 363. dignitates se inuicem excipientes 363. 364. scripta 366. duplex matrimonium 367. morbus 368. sq. et mors 370
Rixae Eruditorum de rebus saepe exigui momenti, honorem illorum valde minuunt 110
Robur Caroli vnde hoc sidus nomen traxerit 161
Saeculi in litteras vis ac potestas 9. sqq.
Schmaussius Io. Iac. primus naturalis iurisprudentiae professor Gottingae constituitur 453
Scholae. Multi in iis paedagogi sunt miseri et abiecti 59. caussae et remedia huius miseriae 60. 61. iucunditas Scholarum 64. sqq.
Scutum Sobiescianum vnde nomen traxerit 161
Seminarii Philologici Gottingensis ratio 70. sqq.
Sententiarum diuersitas an inter impedimenta sapientiae et eruditionis referenda 510. sq.
Siderum consideratio est admirabilis 155. sq. eorum influxus vnde deriuetur 157
Siparium apud Romanos quid fuerit 86. 87. duplex erat scenicum 87. et in foro 88
Stoschius Francisc. Henr. Gentis huius in Silesia illustris dignitas 302. maiorum nostri recensio 302. natales 306. studiorum ratio 307. et mors 308
Studiorum interualla non necessaria sunt valde noxia 516. quare Studia dicantur liberalia 519. 520.
Textrinorum principia vnde repetenda 4
Treuerus Gottl. Sam. primus iuris publici et moralis philosophiae professor Gottingae constituitur 453
Treuerus Gottlieb Samuel. Gentis Treueriae orgines altius repetitae 343. sq. nostri natales 345. studiorum ratio 345. matrimonium 346. honores 347. sq. scripta 350. sq. morbus 352. sqq. et mors 354
Treuerus Petr. an Superintendens Coburgensis fuerit 343
Tribunal apud Romanos describitur 90
Varioli inseruntur liberis regiis in magna Britannia 145
Virtus, vtrum doceri possit 498
Viuere ita quisque debet, vti vixisse die decretorio velit 514
Walliae Principum nuptiae rarissime celebratae 123
Wilhelmina Carolina, Magnae Britanniae regina vnde orta 165. illius elogia varia 119. sqq. 169. 170. liberalitas insignis 172. sq. amor erga litteras 181. pietas 181. 182. commerciorum cura 185. sapientia 186. diuinorum oraculorum meditatio 195. heroica moriendi constantia 197. antiquis heroinis aequiparatur 208

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697605/phys_0140
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697605/phys_0146
DFG

s in dedicanda academia fuerat,
edra, quae octonos minimum
eret. In huius ſuperiorem lo-
mnum huic ſollemni compoſi-
que decanus theologici ordinis
catis ante bidellorum miniſterio
candidatis quatuor digniſſimis,
d rem ipſam acceſſit, ac legiti-
n dignitate et venuſtate peregit;
are tanto minus opus eſt, cum
anorum, qui iidem brabeutae e-
c eodem volumine contineatur.
iſſent de cathedra ſuperiore et
ocauerat, noui doctores theolo-
honiacorum concentum, inferi-
triusque candidati ſex, quibus,
elegantia ſua dignum, decanus
RVS honorem, quem petierant,
raeter ipſam renuntiationis for-
is legem loqueretur, nihil non
ageret. Ad eumdem modum
ci ordinis decurione RICHTERO,
phorum, quorum ille ſeptem,
ſentibus cum pileo, annuloque
tis ſummum tribuit. Praeter
rnarentur, fuere etiam in ordine
m, quibus abſentibus certa de
r, in omnibus autem, quibus col-
c in tam ſollemni celebritate pu-
ie in prioribus facultatibus eue-
s inſolens eſt, vt primi loci viri
erent: tum philoſophorum ordi-